



Nab. 7

MICHAEL RISER  
ID 1655

9174

ΑΝΘΡΩΠΟΑΟΓΙΑΣ  
SACRÆ,

*DISPUTATIO XXII.*

*AD*  
STATUM REPARATIONIS  
PERTINENS,

*De*

ARBITRII SERVI-  
TUTE CIRCA CON-  
versionem hominis alios-

que actus spirituales,

*In inclyta VVitteberg. Academia ad disputandum,  
in privato Collegio proposita.*

*SUB PRÆSIDIO*

BALTH. MEISNERI, S.S.Th.D.  
& Prof. Publ.

*RESPONDENTE,*

M. JOHANNE LUCIO Dresdensi.

*Habebitur 6. Augusti, ab hora 2. pomerid.*

---

WITTEBERGE,

Typis GORMANNIANIS, Anno 1615.

# ЗАКОНОДАТЕЛЬСТВО

卷之三

WINTER 1978-1979

卷之三

1412.27.10.1.1.1.1



ΑΝΘΡΩΠΟΛΟΓΙΑΣ  
SACRAE  
DISPUTATIO XXII.

De  
SERVO ARBITRIO.  
Thesis I.

**S**uperiori disputatione vidimus tūm-  
gōias arbitrij, vel quid sit; tūm ēvēgydar e-  
jusdem, vel quid possit in externis actioni-  
nibus: Nunc pergimus ad actus spirituales, Continuae  
inter quos vel maximē excellit conversatio tio,  
peccatoris ad Deum; & dispiciemus, Num alia  
quaē post lapsum vires arbitrij sint relictæ homini,  
quibus vel seipsum convertere, vel ad  
conversionem præparare, vel tantū, si juvetur, Deo cooperari  
valeat? Affirmativam nos Catholici & Orthodoxi, negativam Hæ-  
retici eligunt & propugnat.

I I. Est autem quæstio hæc momenti maximi, nec referenda in-  
ter inutilia & non necessaria problemata, uti Erasmus censuit, sed  
potius salutis nostræ fundamentum attinere putandū est, quod  
ipsum Lutherus nervosè explicuit l. de servo arbitr. m. pag. 22. edit;  
min. Witt. in 8. anno 1526. Sic ignoravero, ait, quid, quatenus & quan-  
tum ego possum & faciam erga Deum, pariter incertum & ignotum mihi erit,  
quid, quatenus & quantum Deus in me potest & faciat, cum Deus operetur  
omnia in omnibus: Ignoratis vero operibus & potentia D E I. D E V M ipsum  
ignoro: Ignoratō Deo, colere, laudare, gratias agere, servire Deo non possum,  
dum nescio, quantum mihi tribuere, quantum Deo debeo. Oportet igitur  
certissimam distinctionem habere inter virtutem D E I & nostram, si volumus  
piè vivere.

I II. In gravi hoc & nervoso Lutheri judicio toti acquiescimus,  
ideoque præsentem deviribus humanis controversiam eò dili-

A 2 gen-

Quantum in  
haec disputa-  
tione mo-  
mentum sit  
positum,

gentius pertractandam esse statuimus: quam ob causam disputatione hac natione verae sententiae de servo arbitrio proponemus, a natione contraria fallaque subjunctori proxime. Circa nationem autem sex in primis speciales quæstiones ventilandas veniunt.

- I. Quæ Pontificiorum de viribus arbitrij sit opinio?
- II. Num Pelagianis rectè annumerentur Pontificij?
- III. Quæ nostra de hominis non-renati arbitrio sit sententia?
- IV. Quis præcipiens & verus controversiæ status?
- V. Quibus argumentis vera sententia propugnari queat?
- VI. Quis sit usus doctrinæ de servitute arbitrij?

## Q U A E S T I O . I.

### Quæ Pontificiorum de viribus arbitrij sit opinio?

Pontificij in hac quæstione sunt Lubrici.

IV. Quod Lutherus I. de servo arbitrio pag. 4. conqueritur, Erasmum antagonistam suum, esse lubricum & flexilequum, dum nihil voluit assertum, rursus tamen assertor videri: hoc ipsum de modernis Pontificijs, præcipue Jesu-witis, verissimè dici potest, quorum lubricæ & ambiguæ locutiones materiam hanc aliàs difficilem satis, reddunt tamen difficiliorem magisque intricatam. Tamen enim sunt bicipites & bilingues, ut modò illud eructent, & adversus Scripturam varia comminiscantur.

Loca Bellarini, quibus videtur libertatem arbitrij nobis scum negare.

V. Non longè hinc abibimus, nec multa testimonia coacervabimus: sufficere potest unus Bellarminus, qui hanc controversiam fusissimè pertractavit, & totius Ecclesiæ Romanæ, quæ libros ejus adprobavit, sententiam nobis proposuit, tam lubricè autem & inconstanter, ut quid tandem statuat, vix ipse videatur intelligere. Modò enim contra nos, modò pro nobis disputat: Jam servitatem arbitrij adstruit, nunc destruit, adeoque in partes varias, serpentis instar, mirè misereque se contorquet.

VI. Nam i. Omnem arbitrij libertatem quoad actus spirituales, sequentibus locis tollere videtur. L. de grat. & lib.

& lib. arb. c. 12. disertē negat, gratiam reddi efficacem per liberum arbitrium, sed acceptationem gratiae tantummodo à Deo provenire, ne quis glorietur. C. 13. col. 568. B. Verè, inquit, non potest fidelis adversus infidem gloriari aut inflari, quia qui eum principaliter discernit ab infideli, non est ipse per liberum arbitrium, sed Deus per gratiam efficiacem, quam ei dedit, & alteri non dedit. L. 5. c. 13, ad errorem, quem Hesustus annotavit: respondet: At hoc scripsérunt Scholastici quidem pauci, sed non debet Ecclesiæ Catholice tribui opinio paucorum, quam in eadem Ecclesia plures & Homo ex puris naturalibus potest diligere Deum super omnia: graviores refellunt. L. 6. c. 9, inquit, à nobis doceri, voluntatem nostram nihilominò boni spiritualis & salutaris efficere posse, sine auxilio gratie Dei. Atq; in hac re, ait, rectè sentiunt, sed non rectè contrariam sententiam Catholicis attribuunt. L. 6. c. 13, col. 910: ita disserit: Hæc autem vis media & naturalis, quando per peccatum talis est, ut dicatur cor lapideum, non habet ex se potestatem, quâ se convertat ad Deum, & fiat carneum, sed eam recipit per gratiam Dei prævenientem. Liberum enim arbitrium per gratiam prævenientem excitatum & præparatum, potest per vires, quas à Deo recipit, cooperari ad suam ipsius conversionem. Negat obstat similitudo lapis; non enim similitudines convenire debent in omnibus. In eo tantum similitudo locum habet, quod sicut lapis ex se non habet, ut cooperetur, si forte convertatur in carnem, sic etiam liberum arbitrium ex se non habet, ut cooperetur ad suam ipsius conversionem; potest tamen à Deo recipere potestatem operandi per gratiam prævenientem, quod non potest lapis. Et paucus pòst: Ex quâ solutione, detegitur deceptio vel fraus Kemnitij: Scribit enim, Catholicos in eâ sententiâ esse, ut liberum arbitrium per gratiam excitatum, exerat vires, quas habebat etiam, antequam excitaretur, & per illas suas vires vocationi divinæ consentiat; ita ut gratia præveniens, non tribuat vires libero arbitrio, sed quasi sopitas excitet. At non hoc sentiunt Catholici, sed agnoscunt quidem liberum arbitrium in homine, etiam antequam eum gratia divina præveniat, quia liberum arbitrium est res naturalis, quæ per peccatum non amittitur, sed tamen non dicunt, nec sentiunt, liberum arbitrium habere ex se potentiam ullam, saltem proximam ad actus pietatis, sed eam accipere à Deo per gratiam prævenientem. L. 5. c. 10. col. 786. lit. C, inquit: Libenter fatentur, omnes homines esse in statu peccati, & inutiles ad opera facienda, quæ Deo placeant, nisi prius per Dei gratiam reconciliantur. Atqui cap. 9. prolixè disputat, non renatos posse opus.

moraliiter bonum & Deo placens praestare. Bellarmino adjungimus Cōfiterum, qui itidem orthodoxè videtur loqui in Enchirid. pag. 204. Peccator, inquit, viribus suis non modo à peccato liberari non potest, sed neq<sub>z</sub> ab illo potest resurgere, neq<sub>z</sub> de peccato dolorem concipere, neq<sub>z</sub> ad gratiam a peccatorum remissionem se disponere, neq<sub>z</sub> piè erga Deum offici, aut pio affectu de Christo ut redemptore suo loqui, sine divinâ motione & gratiâ præveniente. Et p. 205. In homine peccatore tanta est intellectus cæcitas, tantaq<sub>z</sub> voluntatis & cordis duritia, ut nisi misericors gratia Dei preveniat, & mentem illustret, effectumq<sub>z</sub> moveat, nunquam serio pœnitentia, vel ad Deum revertatur. Et iterum p. 206. Hanc Dei motionē appellant gratiam prævenientem & operantem, quod illam nullis meritis nostris exigentibus, nobisq<sub>z</sub> nihil agentibus, sed in peccato securè quiescentibus, Deus pro suâ misericordiâ in nobis sine nobis operetur, cor moveat, & mentem illustret. Sic etiam orthodoxè videtur sentire Concil. Trident. Can. 3. sess. 6. Si quis dixerit, sine præveniente Spiritu sancti inspiratione atq<sub>z</sub> ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, anathema sit.

Loca Bellar-  
mini, quibus  
libertatem  
voluntatis  
afferit.

VII. 2. Libertatem arbitrij sequentibus locis adstruit, L. 5. c. 9, affirmat, posse hominem ex libero arbitrio opus moraliter bonum facere. C. 14. defendit, à Scholasticis rectè esse dictum, quod naturalia manserint integra. L. 4. c. 15. proponit simile de duobus unum lapidem portantibus. L. 6. c. 10. II. & 12. disputat, homini post lapsum superesse liberum arbitrium in actionibus pijs & salutaribus. C. 15. verè Pelagiana proponit axiomata, ut 1. Homo ante omnem gratiam liberum habet arbitrium, non solum ad opera naturalia & moralia, sed etiam ad opera pietatis, & supernaturalia. 2. Habet homo ante omniem gratiam, potentiam remotam & imperfectam ad opera pietatis facienda. 8. Neque gratia excitans neque adjuvans, ullam imponit homini necessitatem, quod minus possit liberè consentire aut dissentire Deo vocanti. 10. Conversio hominis ad Deum, ut etiam quodlibet aliud opus pium, quatenus opus, à libero arbitrio est tantum, non tamen secluso auxilio generali; quatenus pium, à sola gratiâ est; quatenus opus pium, à libero arbitrio & gratiâ simul. L. 1. c. 13. in fine, constituit duplicem causam, cur duobus æ qualiter excitatis unus convertatur, alter non item; unam pri- mam, Dei operationem; alteram secundariam, liberum arbitrium, quia hic liberè consensit gratiae excitanti, ille non item: cuius contrarium tamen paulò antè proposuit, in quo dissentientem habet.

Becanum

Becanum disputat. de auxil. grat. par. 2. c. 7. L. §. c. 13. contendit recte dictum esse ab Andradio, libertatem arbitrij esse causam efficientem applicationis voluntatis ad gratiam, & à Ruardo Tappero, arbitrium credendi esse in nostrâ potestate, & hominem post lapsum habere rectum lumen rationis, & mentem humanam multâ per se intelligere, quæ ad cognitionem divinarum rerum pertinent.

II X. Hæc igitur Bellarmini est sententia, quod liberum arbitrium quoad supernaturalia non omnino sit amissum, sed duntaxat obscuratum & alligatum, ita ut non possit in actum secundū deduci, nisi per prævenientē gratiam solvatur. Hoc enim patet ex simili isto, quod his verbis proponit l. 6. c. 15. col. 918 B. Simile aliquid experimur in potentia videndi: nam absente specie sensibili, habet homo potentiam & libertatem videndi; non enim ea species causa est libertatis, aut potentiae videndi, tamen potentia remota est, & libertas ligata, donec accepta specie potentia perficiatur, & in actum prodire possit. Hinc colligimus talē sententiam: Ut in homine est naturalis vis & potentia videndi, quæ perficitur objecto visibili, ut in actum prodeat; ita in arbitrio hominis post lapsum superest vis & potentia naturalis, ad benè operandum, sive ad conversionem, quæ perficitur & in actum prodit, excitatâ motione & impulsu Dei sive gratia interna. Duas igitur partiales causas conversionis constituit, gratiam Dei & voluntatem hominis, quod aperte elucet ex illo simili à duobus viris, qui simul portant ingentem lapidem, quem unus ferre non posset; ubi uterque concursum suum liberè adhibet, & si alter nolit concurrere, opus non fiet, l. 4. c. 15. Imò primam, quoad prioritatem ordinis, causam in conversione facit voluntatem humanam, dum eodem c. 15. disputat, voluntatem naturâ prius operari, quam Deum, ac proinde Deum operari, quia voluntas operatur, non contraria; unde hoc est consequens, ut Deus potius cooperari dicatur arbitrio, quam arbitrium Deo.

I X. Eadem mens est Costeri, qui p. 203. Enchirid. ita scribit: Sententia Multa potest ex se naturâ suâ liberum arbitrium, non solum à dīcōpog, Costeri, quæ in virtutib⁹ & virtutibus non ponuntur, qualia sunt ambulare, sedere, emere, non emere, hisq; similia, sed moralia quoq; virtutum opera. Nam cùm natura voluntatis bona sit, cur non velit, & operetur bonum, quandoquidem omnis arbor bona fructus bonos facit? Rursus p. 211. Est hæc gratia in arbitrio

Uterio voluntatis, ut eā uti possit, & non uti, retinere & abjecere; quemadmodum  
bāculū in manu convalescentis, cuius auxilio, si velit, utetur; sin minus  
poterit eum removere. Addit prolixum simile, p. 211, de homine in  
latrones incidente, quod sic proponit: Sequenti similitudine, quae  
ad parabolam accedit hominis, qui in latrones inciderat, res tota utcunq; il-  
lustrari posse videtur. Sit homo lethalibus vulneribus propè confectus, qui me-  
diā hyeme in tenebris noctis, omni destitutus auxilio, & frigore rigidus ferè  
desiciat. Accedit amicus cum lumine, qui hominem semimortuum, deside-  
rantem auxiliū, & quantum in ipso est connitentem iumento imponat, in  
domum introducat, luculentio igne refocillet, certisq; medicamentis vulnera  
curet, curatum utcunq;. sed ex præcedentii morbo adhuc languentem, in cale-  
facto cubiculo manere jubeat; atq; ut incedat, Scipionem porrigat; aliaq; au-  
xilia ad plenam perfectamq; sanitatem consequendam præbeat. Hac similitu-  
dine intelligimus primò miseriā hominis peccatoris, qui destitutus calore  
gratiae Dei totus alget, privatus lumine divino in densissimis versatur tenebris,  
multisq; peccatis animā, omnesq; potentias graviter sauciatas habet, ut cun-  
cta cogitatio eius prona sit ad malum. Secundò modum, quo ex his calamiti-  
bus educitur præveniente, & accedente Deo cum lumine quodam gratiae  
quo intellectus fœditatem peccatorum, & Dei benignitatem aspiciens, ille de-  
testari incipit, & ad hunc aspirare: voluntas etiam adjuta modis omnibus  
cooperatur, ut tantis exoneretur malis, liberè tamen, quia non invitus, sed co-  
operans sublatus est homo ille in iumentum. Adducto illo deinde in domum,  
aperitis vulneribus infundatur ab amico oleum & vinum; præsentissima quæ-  
dam pharmaca, nempe gratia justificationis, quā vulnera desinant esse lethali-  
ta, ad cuius infusionem nihil prætereat agit homo saucius, quam ut vulnera  
detegat, & unguentum excipiat: quia remissionem peccatorum Deus solus in  
nobis operatur, nobis tantum consentientibus, & gratiam atq; justitiam in-  
fusam excipientibus. Tertiò quid gratia in homine justificato efficiat; nem-  
pe à periculo mortis aeternæ liberat: intellectum lumine divino illustrat: calo-  
re charitatis voluntatem accendit: liberum arbitrium, ceterasq; animæ po-  
tentias confirmat: totumq; hominem prius jacentem, & extero ad resur-  
gendum auxilio indigentem in pedes erigit, atq; ad ambulandum vires au-  
xiliumq; subministrat. Quartò discimus, quoniam modo præstet hæc omnia  
gratia Dei in homine justificato, nempe non cogendo, nec imponendo neceſſi-  
tatem, sed suam ipsi relinquendo libertatem. Afficit quippe hominis mentem,  
& bonum agnoscit, & voluntatem, ut bonum ei placeat, suaviterq; trahit,  
sicut

sicut trahit sua quemq; voluptas, sicut puer trahitur pons (inquit D. Aug.)  
Et sicut filius à parente munusculis & blandimentis ad literas descendat indu-  
citur (ut est apud Methodium:) liberum interim manet arbitrium, ut  
vel sequatur, vel non sequatur suadentem, afficiensem, trahentem.

X. Porrò Costerus contra Bellarm. l. 6. c. 15. statuit pag. 206. *Diffensio*  
*gratiam prævenientem non esse internam motionem & voluntatis inclinatio-* Bellarmini  
*nem, sed duntaxat externum spiritus adhuc foris degentis impulsu, quem & Costerus*  
*admittere vel rejicere homo liberè possit.* Pag. 207. 208. ait: *Liberum homi-*  
*nis arbitrium auxilio Dei nec dum inhabitantis, sed moventis & adjuvantis,*  
*se preparat ad justificationem non solum patiendo, sed etiam operando &*  
*agendo.* Affert simile à lapsō in foveam, & concludit his verbis: *Ita*  
*liberum arbitrium, quod vitio suo in peccatum cecidit, ut de tenebris à fovea*  
*peccati educatur, non suscipit tantum, vel patitur, aut agitatur, sed cooperat*  
*ur gratiae Dei, preparat se credendo, fidendo, pietatis officia assumendo, donec*  
*ad solem justitiae ascendens divino lumine gratiae intus repleatur.* Vide ibi-  
dem plura, quæ omnia eò tendunt, quòd in potestate arbitrij sit  
ad gratiam se preparare, gratiam accipere vel rejicere, acceptam  
vel retinere vel dimittere, quæ universa ex Concilij Trident.  
Can. 4. qui ita habet: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à DEO*  
*motum & excitatum, nihil cooperari assentendo Deo excitanti atq; vocanti,*  
*quòd ad obtainendam justificationis gratiam se disponat ac preparet, nec posse*  
*dissentire si velit, sed velut in anime quoddam nihil omnino agere, mereq; pas-  
sive se habere, anathema sit.*

XI. Quamvis autem Concilium istud quoq; mentionem  
faciat adjutorij Spiritus Sancti & gratiæ prævenientis: hoc ta-  
men ita exponitur ab Andradio & interpretibus, quòd liberum arbi-  
trium per peccatum quidem grave vulnus acceperit, verùm non sit extinctum,  
& ut maximè non possit suā vi & facultate sese erigere, tamen si à Deo movea-  
tur extrinsecus per verbum, posse illud assentiri & DEO cooperari. Utitur Similitudi-  
autem Andradius hoc simili: *Sicut ille, qui ferreis soleis devinctus est, nes quædam*  
*habet quidam insitam & innatam incedendi diuinae seu potentiam, sed li* Pontificio-  
*cet habeat illam, non tamen potest eā uiri, ut in actum prodeat, nisi prius vin- rum,*  
*cular rumpantur, quæ motum reprimunt & retardant: Ita peccati vinculis*  
*ligatum est liberum arbitrium, ut vires illas, quas habet reliquas ad actiones*  
*spirituales efficiendas, non possit exercere, nisi à Deo moveatur & excitetur.*  
*Vbi vero accesserit motio & impulsus Spiritus Sancti, quo vincula rumpantur*

& ligentur vulnera, tūm dūwāpūrū illam sese exerere, & assentiri, adeoq; co-  
operari Deo in inchoandis & efficiendis motibus spiritualibus. Adhibet por-  
rò Andradus similitudinem agroti, cuius vires morbo fractæ,  
debilitatæ & attenuatæ sunt, ubi medicus vires reliquas confir-  
mat roboratq; , & amissas restituit. Alij gaudent similitudine  
aviculae, quæ retinet quidem potentiam volandi, sed quando fu-  
niculo alligata est non potest usum & motum illius facultatis,  
quæ naturaliter ipsi insita est, exercere: si quis autem rumpat  
funiculum, is non inserit aviculæ novam & peculiarem volan-  
di dūwāpūrū, quam antea non habuerit, sed tantum impedimen-  
tu[m] auferit. Quod si ad negotium conversionis accommodes,  
mox sequitur, gratiam divinam non esse principem & primariam conver-  
sionis causam effientem, sed duntaxat conversionem efficere per mo-  
dum removentis prohibens. Sicut enim is non dicitur efficiens causa  
volatus, qui impedimentum removit: ita & de conversione ho-  
minis juxta Papistarum hypotheses judicari debet. Aliam ad-  
huc similitudinem proposuit Andradus ab exustione igni sum-  
tam: Si te rogem inquit, cùm ligneam materiam conflagrare cernis, quæ  
sit conflagrationis illius efficiens causa, ignem dicas necesse est, unà cum D E O.  
naturæ autore & patrono, qui igni exurendi virtutem suppeditat, & ad ope-  
randum cum illo conspirat. Cum igitur liberi nostri arbitrij motio, non ma-  
gis à Dei gratiâ pendeat, quām à divinâ virtute stipitis exustio, quid est, quod  
liberum arbitrium efficiens causæ dignitate & nomine spolies? Ex quo in-  
ferimus: Sicut proxima & primaria exustionis causa ignis est,  
Deus verò non nisi remota: ita conversionis causam efficientem  
principalem esse arbitrium, non autem nisi remotam & gene-  
ralem, ipsam Dei gratiam, quo quid magis Pelagianum dici  
posset?

Summa sen-  
tentiæ Papi-  
sticæ.

XII. Summa igitur sententiæ Papisticæ hæc est, quod liber-  
rum arbitrium non amiserit facultatem sese convertendi ad Deum, sed quod  
tanum amissa sit libera illius facultatis executio, quæ vinculis peccati impe-  
ditur. Quando autem gratia solvit istud vinculum, & hominem excitat, ibi  
tum liberum arbitrium sponte ad Deum se convertere. Hæc sententia est  
Concilij Tridentini & Andradij, atq; reliquorum, ex quâ patet,  
liberum arbitrium unicè causam conversionis efficientem esse,  
si propriè loqui velimus, gratiamque Dei non immediate effice-

re conversionem, sed nihil aliud facere, quam à verâ causâ effi-  
ciente, videlicet libero arbitrio impedimentum removere.  
Quemadmodum enim qui tollit obstacula, non verè est causa  
efficiens motus, e.g. in lapide, super statuâ recumbente, sed ipsa  
lapidis forma est verum principium motus istius deorsum; qui  
verò impedimentum removit, tantum efficientem causam in a-  
ctum produxit, non autem ipse motum effecit: Sic quoniam  
Deus ex sententiâ Pontificiorum nihil aliud per gratiam suam  
facit, quam quod à voluntate impedimentum removeat, & in  
voluntate solâ situm sit ad Deum se convertere vel non con-  
verte; sequitur certè, Deum propriè loquendo non esse causam  
conversionis efficientem, nec conversionem posse aut debere  
nominari opus Dei, cùm effectus tantum efficienti proxima &  
immediatae, non autem removenti prohibens primò ascriban-  
tur. Licet igitur quædam pars efficientiæ in conversione Deo  
possit ascribi, tamen longè plus viribus arbitrij erit assignan-  
dum, quippe quæ solæ sunt primum & immediatum conversio-  
nis principium: unde consequenter potius *opus humanum*, quam  
divinum erit *Conversio*, & longè plus sibi ipsi potest ascribere  
fidelis, quam Deo, siquidem in propriâ fuit facultate, post im-  
pedimentum remotum, sese ad Deum se convertere vel non con-  
verte. Et quantumvis hanc sententiam sàpè dissimulent, seque  
aliud statuere velint videri; attamen si omnia ipsorum princi-  
pia excusseris, nihil aliud quam ipsissimum Pelagianismum sub  
istis verborum involucris & pigmentis occultatum fuisse depre-  
hendes id quod nunc secundâ quæstione demonstrare aggre-  
dimur.

## Q U A E S T I O I I .

### Num Pelagianis rectè annumerentur Pontificij?

XIII. Contra Pelagianos satis acriter pugnare & disputare  
aliquando videntur Romanenses, quorum tamen opiniones si  
ultrò citroq; examinaveris, nihil aliud quam Pelagi hæresin sub  
illis invenies, quod ut fiat manifestius, ideo quādam dogma-  
rum Papisticorum & Pelagianorum collationem adnotare pla-

Pelagij di-  
versa locu-  
tiones.

cet. Non autem prolixè certaminis Pelagiani historiam com-  
memorabo, quæ videri potest apud Dn. Chemnitium, & Dn. D.  
Gerhardum, satis fideliter explicata; sed hoc unicum duntaxat  
observari volo, quod maximè distingui debeat inter Pelagium  
priorum, ut nonnulli loquuntur, & posteriorem.

XIV. Primo enim tempore manifestè absurdus erat & bla-  
phemus, quando aut simpliciter negabat, gratiam Dei ac salu-  
tem esse necessariam, & contra affirmabat, gentes per legem  
naturæ salvatas esse; aut per gratiam nihil aliud intelligebat,  
quam vel revelationem voluntatis divinæ in verbo patefactæ,  
vel ipsas animæ potentias, gratis datas & concessas. In his autem  
omnibus correxit linguam, & cœpit simul gratiæ adjutorium  
defendere, & sæpè ita locutus est, ut Augustinus dixerit: *Posset*  
*bene intelligi, si non ab ipsis, quorum sensus notus est, diceretur.* Ita enim  
loqui cœpit, *Gratiæ adjuvare bonum hominis propositum, non tamen in-*  
*vito & reluctanti studium virtutis immittere, item, voluntatem in omni o-*  
*pere à gratiâ semper adjuvari,* de quo vide August. in lib. de hæres. ad<sup>t</sup>  
Quod vult deum, & in Enarr. Ps. 105. & 107. libr. i. Retractat. c.  
9. 15. 23; & 42.

XV. Sicut igitur Pelagius fuit quasi à seipso divisus, ita  
quoque non immerito duplices constituuntur Pelagiani, quo-  
rum aliqui Pelagium priorem imitantur, & dici possunt Pelagia-  
quidā cras-  
fiores, apertiores, pertinaciores, quales ferè fuerunt Scho-  
fiores, qui-  
lastici, ex quibus præsertim Biel, ut & Andradus, quorum uterque  
dam subti-  
tantam voluntati concessit libertatem, ut etiam gentes na-  
liores sunt. - turæ salvatas fuisse afferant: alij imitantur Pelagium posterio-  
rem, & nominari queunt Pelagiani callidiores, occultiores, subtilio-  
res, quibus epithetis Augustinus Coelestium à Pelagio discernebat  
l. 2. de grat. & lib. arbitr. c. 12. Atque ex horum numero sunt ho-  
dierni Jesuwitæ Bellarminus præsertim & Costerus, qui etiam-  
si sæpiissimè linguam habeant orthodoxam, semper tamen men-  
tem retinent Pelagicnam & heterodoxam, ut ita verè de ijs dici  
possit, quod Irenæus olim de sui temporis hominibus ajebat;  
εμοια μὲν λαλγύται, αὐόμοια δὲ Φεγγύται. Quod igitur penè  
omnibus hæreticis in usu fuit, videlicet cum orthodoxis tan-  
dem linguam, sed diversam penitus mentem & contra cum he-  
terodoxis illas monebis illas monebis.

terodoxis eandem mentem, sed diversam tenere sanguinum; id  
hodieq; in Pontificijs quoad hunc articulum observare licet.  
Quod enim isti nervos doctrinæ Pelagianæ etiamnum retine-  
ant, ex subsequenti brevi delineatione & collatione patere posse  
existimo.

XVI. 1. Pelagiani docebant, Omnibus hominibus liberum arbitrii Collatio er-  
rarium naturaliter inesse, neq; id per Adæ peccatum perire patuisse. Idem de rorum Pelagi-  
anorum Concilium Tridentini sess. 6. Can. 5. Si quis liberum hominis gianorum  
arbitrium post Adæ peccatum amissum & extindum esse dixerit, &c. anathe- & Papistis  
ma sit.

2. Pelagius docebat, teste Augustino I. de grat. contra Pelag. &  
Cœlest. c. 18. Habemus possibilitatem utriusq; partis à Deo insitam, velut  
quandam, ut ita dicam radicem fructiferam atq; fœcundans, quæ ex volun-  
tate hominis diversa gignat & pariat, & que possit ad proprij cultoris arbit-  
rium vel nitere flore virtutum vel sentibus horrere vitiorum. Idem cen-  
set Bellarminus I. 5. c. 9, ubi afferit, esse in potestate hominis si-  
tum, bonum aliquod morale perficere: & idem omnes reliqui  
sentiunt Jesuwitæ, qui unanimiter afferunt posse hominem  
gratiæ divinæ vel accipere vel rejicere, & sic habere possibi-  
litàtem utriusque partis, quemadmodum olim loquebatur Pe-  
lagius.

3. Pelagiani docebant, inutiles fore adhortationes, si nihil in homine  
remansisset, quod correccio valeat excitare: Hilarius Arelatenensis in  
Epist. ad August. Eodem argumento utitur contra nos Bellarmi-  
nus I. 5. c. 17. Costerus p. 198.

4. Pelagiani docebant, cognitâ doctrinâ Evangeli hominem liberi ar-  
bitrij viribus posse cursum perficere. Prosper de ingratis. Idem sentit  
Bellarminus I. 6. c. 15. Costerus p. 210. 211.

5. Pelagiani docebant, per gratiæ assertiōnem nihil relinqui libero ar-  
bitrio, sed prorsus deleri. Prosper in Epist. ad Russinum & de ingratis.  
Idem omnes objiciunt Pontificijs, & Bellarmino præsertim in  
præfat. super libros de lib. arbitrii.

6. Pelagiani docebant, liberum arbitrium posse obtemperare Deo vo-  
canti. Prosper de ingratis. Ideo docet Bellarminus I. 1. c. 4. & 13. I. 6.  
c. 14. Costerus 207. 208. seqq.

7. Pelagiani dicebant: Si nihil tribuatur libero arbitrio in rebus Bir-  
gi ap. M. 31

gualibus, tollitur studium & cura bene agendi. Idem argumentum objicit Bellarminus l.5.c.15. & 17. Costerus p.199.

8. Pelagiani docebant, mandata Dei facilia, & observatu esse possibilia, Hieron. in Epist. ad Ctesiphontem. Idem prorsus docet Bellarminus l.5.c.20.

9. Pelagiani docebant, triplicem homini datam esse gratiam, creationis, prædicationis Evangelij, & regenerationis, & has gratias semper concurrere; per creationis verò gratiam intelligebant ipsum liberum arbitrium, Prosper in Epist. ad August. de reliquijs Pelagianæ hæresis. Idem docent Pontificij, afferentes liberum arbitrium in regeneratione seu conversione cooperari Deo Bellarm. l.6.c.15. 14.15. Costerius p.226.

10. Pelagiani docebant, tres causas in conversione hominis concurrere, nempè Verbum, voluntatem & auxilium Dei, Prosper de ingratitudine. Idem docent Pontificij.

11. Pelagiani docebant, Faustus præsertim, Episcopus Gallicus Anno Christi 500. humano studio & labori adjungendum esse gratiae adjutorium, quæ pariter sociata reliqua perficiant opera, Maxentius contra Epist. Hornisdæ. Eodem modo Bellarminus ait, voluntatem cooperari Deo l. 6. c. 14. & l. 4. c. 15. Et Costerus inquit, Voluntas adjuta modis omnibus cooperatur.

12. Pelagiani principium salutis in homine collocabant, divinæq; voluntati humanam præferebant, sic ut idèo quis adjuyetur, quia voluit, non idèo quia adjuyatur velit. Prosper in Epist. ad August. Approbat hoc Bellarminus l.4. c. 15. ubi ait: Ex quo etiam sequitur, ut licet in eodem momento temporis & naturæ Deus & voluntas operari insipient, tamen Deus operetur, quia voluntas operatur, non contraria. Et hoc est quod aliqui dicunt; voluntatem prius naturâ operari quam Deum non prioritate instantis in quo sed à quo.

XVII. Plura possent membra collationis accumulari, sed hæc sufficient, ex quibus abunde patet, quam insignis harmonia, & omnimoda convenientia sit inter Pelagianos & Papisticos de libero arbitrio errores, ita quidem, ut Pelagianismus dudum emortuum, & in cineres redactum, Papalù vicissim revixisse, & animam obscenam, quam tempore Augustini & Prosperi efflaverat, recuperasse.

18. Neqr

XIX. Neq; est, quod objicias: Bellarminus & alij Pontificij  
refutant Pelagiano: quomodo igitur Pelagianismi accusari queunt? Re-  
sponsio enim in promiu est, quod Bellarminus & cæteri nihil  
aliud faciant, quām quod Pelagium prioristicum, quem voca-  
vi, quoniam nimis crassus & apertus, primaque fronte gratiæ  
inimicus est, refutent, Pelagium verò posterioristicum maxi-  
mè a mplexantur, quoniam non nihil subtilior & occultior est,  
dum non primo statim aspectu se hostem gratiæ profitetur, sed  
eam verbis sat multis extollit, interim tamen tantam libero ar-  
bitrio vim ascribit, ut nulla foret gratiæ efficacia, nisi illi coo-  
peraretur arbitrium, hoc est, Pontificij non dicunt liberum ar-  
bitrium sufficere ad motus & actiones spirituales efficiendas,  
quod volebant Pelagiani crassiores, attamen illud censem esse  
necessarium, & non posse ullam actionem spiritualem perfici  
sine ope liberi arbitrij, quod volebant Pelagiani occultiores &  
subtiliores. Quod igitur illi soli arbitrio libero ascribebant,  
hoc Pontificij non soli arbitrio, sed unà gratiæ divinæ assignant,  
plus tamen tribuunt arbitrio, quām gratiæ, quod patet ex eo-  
rum similitudinibus, & hoc effato: *In voluntate hominis esse, grati-  
am oblatam vel accipere vel rejicare.* Et quia acceptatio gratiæ nihil  
est aliud, quām conversio, sequitur, quia unicè ex proprijs viri-  
bus accipiunt homines gratiam vires relictas unicam esse con-  
versionis causam, qui ipse est crassissimus Pelagianismus.

Quo respe-  
ctu Pontifi-  
cij refutent  
Pelagianos?

## QUÆSTIO III.

*Quæ nostra de hominis non renati arbitrio  
sit sententia?*

XIX. Cùm principaliter quæratur, quid possit arbitrium  
in conversione hominis, ante omnia sciendum, quid sit Con-  
versio, & quomodo sumatur, Est autem nihil aliud, quām metus *Conversio*:  
quidam spiritualis, per quem homo renascitur & regeneratur, atq; ad De-  
um, à quo aversus erat, convertitur, Solet autem duobus modis acci-

pi, r.

Dicitur mo-  
die accipi-  
tum.

p.i. i. propriè, pro ipsâ mutatione spirituali, quâ homo propter peccatum omnino aversus à Deo, per fidem, Christi meritum, apprehendentem ad Deum convertitur. 2. nonnihil latius, pro ipsâ simul conversionis continuatione, & quotidianâ adiunctio ne: illius subjectum sunt homines peccatores, filijq; iræ; hujus verò homines renati, quotidianis tamen peccatis, ob naturæ corruptionem, maculati, Quia enim & justus peccat sacerdius, proinde opus semper habet resurrectione, quæ sit per conversionem, seu pœnitentiam. Hæc autem non est proprie mutatio hominis, quia renatus non est aversus à Deo. Cùm igitur peccat venialiter, tunc non de novo convertitur, siquidem non habet iratum Deum, sed duntaxat in conversione semel factâ, per gratiam Dei perseverat, eamque continuat, quæ continuatio quandoque ipsius conversionis nomine venit. Nobis autem de taliter sumtâ conversione hic primò non est sermo, cùm lubenter fateamur, quod in quotidianâ renatorum pœnitentiâ arbitriom, quia liberatum est, multum possit, non quidem ex se & suâ naturâ, sed ob gratiam, quam in regeneratione accepit. Nam ut Augustinus l.3. hypognost. loquitur: *Alia est ratio hominis nondum credentis, & alia jam illuminati & reparati per gratiam.*

Conversio  
rectè nomi-  
natur mu-  
tatio.

X X. De illa igitur conversione queritur, quæ est mutatio hominis non renati, dum à peccato se cōvertit ad Deum, atq; ita è statu iræ transfertur in statum gratiae, quæ translatio quamprimum facta est & quandiu durat, non dicitur homo amplius non conversus vel convertendus, sed jam conversus. Rectè autem ista conversio nominatur mutatio, siquidem omnia μεταβολῆς requisita continet. Datur enim subjectum, quod est ipse homo; datur terminus à quo, nempe servitus peccati, & status iræ; datur terminus ad quem, nimirum Deus & status gratiae. Termini hi notantur Act. 14,14, ubi Apostolus inquit: *Annunciamus vobis, ut ab ipsis vanis, convertamini ad Deum vivum, qui fecit cælum & terram.* 1. Thessal. 1, 9. Ipsi de vobis annunciant, quomodo conversi fueritis ad Deum à simulacris. Act. 26,18. *Mitto te in gentes & populos, ut aperias oculos eorum, ut convertantur à tenebris ad lucem, & à potestate Diaboli ad Deum.* 1.Petr. 2,25. Eratis ve- lue oves errantes, sed conversi estis ad Pastorem, & chrysorem animarum ve- strarum.

21. Con-

XXI. Convertitur autem homo ad Deum per fidem, inventam cordis fiduciâ consistentem. Cùm enim ex lege agnoscit peccata, in ijsq; non desperat, sed querit Medicum Christum, verâq; fide apprehendit; tum convertitur, & quasi de novo generatur. Hic autem mox controvertitur de istorum motuum origine, & disceptatur, quæ sit causa efficiens, ut homo tūm velit, tūm possit credere, verbis assentiri, Deum diligere, &c. Conversio enim est illuminatio mentis, rectificatio voluntatis & cordis, ita quidem, ut qui intellectus anteà non poterat capere mysteria divina, ea jam capiat, & non solum capiat, sed etiam iis assentiarur, cùm anteà ne quidem assentiri voluerit, multò minus potuerit; ut voluntas quæ aversa erat à Deo & Christo, eum diligit, & verâ fiduciâ apprehendat. Quæritur ergo, quæ sit causa, mentem hominis illuminans, voluntatem rectificans, cor & omnes animæ potentias renovans, & à servitute peccati liberans?

XXII. Hic respondemus, unicam solitariam & sufficientem horum omnium causam esse gratiam Dei per verbum operantis; trahentis, moventis, illuminantis & rectificantis. Non enim mens seipsum illuminat, sed illuminatur à Deo; voluntas non seipsum rectificat, sed rectificatur à Deo; cor & reliquæ potentiae non semel ipsas renovant, sed renovantur à Deo. Pontificii verò longè aliter & definiunt conversionem, ideoq; & longè aliam assignant conversionem, ideoq; & longè aliam assignant conversionis causam.

XXIII. Ipsi enim conversio non est illuminatio mentis Pontificij alio obtenebrata, rectificatio voluntatis aversæ, & renovatio coris depravati sed putant in mente naturaliter hærente lumen, conversionem quo possit mysteriis fidei assentiri, in voluntate adesse diuī apud, describunt. quâ possit verâ fiduciâ Christum apprehendere, & Deum super omnia diligere, istud verò lumen per peccatum duntaxat esse eclipsatum, istam diuī apud per lapsum duntaxat esse ligatam & impeditam; quando igitur per gratiam prævenientem removetur densitas peccatorum, in quorum umbram incurrit lumen intellectus, & consequenter obscurabatur, quando item tollitur vinculum lapsus, voluntatem ligans, ibi tūm mentem ex propriis viribus posse credere, voluntatem ex propriis viribus posse Deum diligere, & meritum Christi apprehendere,

C

adeo-

Per solam Dei  
gratiam con-  
vertitur homo

ad eōque gratiæ, quæ accedit ad naturale mentis lumen & insi-  
tam voluntatis diuīsū, strenue cooperari.

XXIV. Hanc verò sententiam proorsus esse erroneam, rectè  
asserunt Orthodoxi: per peccatum enim amissus est non solum  
actus secundus luminis intellectualis, non solum actus secundus  
rectitudinis in voluntate, quod dicunt Pontificii, sed etiam ipse  
actus primus, hoc est, ille ipse ingensitus habitus, illa ipsa diuīsū  
& potentia, in creatione innata, quam semper poterat homo  
credere Deo, Deum, & in Deum, cumque diligere, quamquam  
actus secundus non aderat: Hęc, inquam, potentia etiam amissa  
est, & contrarius succedit malus habitus, prava illa & tenacissi-  
mè inhærens concupiscentia. Longè enim major est exercitas &  
corruptio spiritualis, quam naturalis; hęc enim non tollitur ipsa  
potentia videndi, licet actus secundus tollatur, ista verò non so-  
lūm actus secundus, sed ipsa simul potentia & diuīsū sublate  
fuit, ita quidem, ut non solum homo non videat, sed ne quidem  
activè videre possit aut velit quoad spiritualia. Per conversio-  
nem igitur & regenerationem non solvitur vinculum aliquod,  
quo potentia credendi & diligendi revincta fuerit, quo minus in  
actum potuerit deduci, sed & ipse actus credendi, & potentia  
credendi à Deo datur & infunditur, homine nihil omnino ex  
propriis viribus ad sui conversionem conferente. Sic ergo nos  
ex alle negamus liberum arbitrium, Pontificii verò tantum ex se-  
mis, atque sic ἐνέργεια ὀλικωδις adimunt gratiæ, & non nisi με-  
τελο̄ relinquunt, unde συνεργία ista exoritur.

Homo in con-  
versione tan-  
tum se habet  
passivè.

XXV. Huic Synergiæ meritò Lutherus se opposuit, & rectè  
asseruit, quod homo in conversione habeat se merè παθητῶς vel passivè,  
non ἐνέργητον vel activè, hoc est, sit tantummodò subjectum,  
quod convertitur, non causa efficiens, quæ seipsum convertat.  
Cæca enim mens est, quomodo igitur spæ illuminationis cau-  
sa efficiens esse possit? aversa est voluntas, quomodo igitur se-  
ipsum convertat? serva est, quomodo seipsum liberet? agrora  
est, quomodo seipsum sanet? mortua est, quomodo seipsum vi-  
vificet? Nihil proinde, nihil omnino, & ne modicum qui-  
dem aut perpusillum, pro quo Erasmus pugnabat in suā diatribe,

con-

confert voluntas ad sui regenerationem efficiendam, unde sequitur, illam sese duntaxat habere passivè & subjectivè, non autem operativè, vel cooperative.

XXVI. Neque tamen hinc legitimā consequentiā inferri potest, quod homo instar αλόγων truncis, qui quasi nesciens & violentē convertatur, quam calumniam nobis affingunt Pontificii, ut patet ex Costeri Enchirid. pag. 215. ita scribentis: Luiherani docent in negotio iustificationis moveri voluntatem hominis à Deo instar spiritus, ut patiatur tantum, & nihil quicquam agat, nimis rūm peccatorem ita à Deo ad saniores mentem converti, ut divinam motionem necessariò sequatur, nec posse non sequi, ad eum ferè modum, quo ovis naturali instinctu ramuscum viridem sequitur, & canis fertur ad ossa. Verum sit nobis injuria, siquidem fatemur ipsi & docemus, maximam quoad trun-  
cum & hominem hac in parte differentiam esse. Nam i. truncus, quippe irrationalis, carens mente & voluntate, nullo modo habile ad conversionem subiectum est: Homo verò acce-  
dente Spiritu sancti operatione converti & regenerari po-  
test. Nec enim sentimus cum Manicheis, qui quosdam homi-  
nes ex ὄλη generatos, fixerunt αλύτας & irredemptibiles, ita  
quidem, ut etiamsi efficacia Spiritus adsit, tamen ob summam  
corruptionem converti nequeant, nisi natura eorum penitus  
destruatur: non, inquam, ita sentimus, sed contrarium po-  
tiùs asserimus, statuentes hominem satis idoneum conver-  
sionis esse ϕωκείμρον, quò respicientes nonnulli Patres vi-  
dentur liberum arbitrium asseruisse, cùm tamen nihil minus  
faciant. Hoc sensu dixit Bernhardus: Tolle liberum arbitrium, non  
erit, quod salvetur, tolle gratiam, non erit, unde salvetur. Hoc enim  
certum est, neminem salvari, nisi qui habet liberum arbi-  
trium, hoc est, mentem & voluntatem, cùm verè scripserit.  
Augustinus lib. 3. contra Julianum cap. 4. Gratia DEI per  
IESVM CHRISTVM DOMINVM nostrum non lapidibus aut  
lignis peccatisq; præstatur; carent enim subjectis, mente scilicet & vo-  
luntate, in quibus DEVS ordinario modo per Verbum & Sacra-  
menta agere solet, & in quibus necesse est fieri conversionem. Damus  
ergo lubenter, hominem, quia rationalis creatura est, con-  
vetti posse, quam inanitatem vel potentiam vocant pas-  
Neg, tamen  
ob id truncus  
est similius.

sivam: cùm autem actu convertitur, causa non est intra hominem, sed extra ipsum, quoniam activa potentia prorsus destituitur.

**XXVII.** 2. Caret insuper lapis truncusq; hac aptitudine, quā possit audire verbum, cuius tamen auditus ad conversionem maximè est necessarius. Non enim raptu violento & Enthusiastico Deus convertit, neq; tali impulsu, qualis erat in Bileamo Num. 23, qui invitus benedicebat populo Dei, vel qualis erat in Caiphà, qui ignorans prophetabat Ioh. 11, v. 51, vel qualis in asinā Bileami, quæ per miraculum redarguebat sessorem suum Num. 22, v. 28, sed convertit Deus corda hominum mediatae per verbum suum, quod vult legi & audiri. Talis vero lectio & ἀνέγασις non cadit in truncum, sed homini propria est, atque ita destituitur truncus tūm idoneitare passivā, quoad ipsam conversionis receptionem, tūm idoneitare activā, quoad mediorum ad conversionem necessariorum χεῖσιν vel usurpationem.

**XXIX.** 3. Habet homo δύω αὐτοῦ istam, ut auditō verbo possit resistere, & gratiæ verbo annexæ reluctari, sicut dicitur Matth. 23, 37. *Quoties volui congregare filios tuos, & vos noluistis.* Talis repugnancia in ἀλογον & prorsus inanimatum truncum nullo modo cadit, unde rursus apparet, maximam inter hominem & truncum esse differentiam.

**XXIX.** 4. Voluntas mota & adjuta à Spiritu sancto non recipit impressionem sicuti truncus vel lapis, sed incipit velle, & operari, ita ut statim difficultas lucta inter carnem & spiritum oriatur, quæ describitur Rom. 7, v. 15. Gal. 5, v. 17. Talis lecta non est, nec esse potest in trunco. Atq; hæc de nostra sententiâ proposuisse sufficit: ad ipsum statum rectè formandum pergimus.

## Q U A E S T I O IV.

*Quis præcipuus & verus controversiæ status sit?*

30. Reg.

XXX. Removenda hīc sunt tēmūnēntēmūnē, & deinde an- Non quāritur  
neētendum erit verum ζητέμūnē. Non ergo quāritur 1. de poten- 1. De actioni-  
tiā animē vegetativā, sensivā. & locomotivā, an in iis quoad actiones bus naturali-  
naturales sit aliqua libertas, sicut Valla disputat. Num sit in hominis bus,  
arbitrio moyere pedem, vel dextrum vel sinistrum? In Dialogis Hierony-  
mi Pelagianus dicit: Si voluerō curvare digitum, an semper mihi neces-  
sarium erit speciale Dei auxilium? Apud August. de perfect. justitiae,  
Cœlestinus objicit locum Pauli 1. Cor. 7. de libertate nubendi.  
Faciat quod vult, Augustinus verò recte responderet: Quasi pro magno  
habendum sit, velle nubere, ubi de adjutorio divinae misericordiae operosius di-  
spatatur? Nec enim de externis actibus, sed de conversione ho-  
minis præsens controversia est.

XXXI. 2. Non quāritur de ipsā animā rationali substantiā, an 2. Non de ipse  
habeat potestatem aliquam judicii in mente, & electionis in vo- mente & vo-  
luntate, quo sensu Augustinus dixit l. de grat. & lib. arbit. cap. 2. luntate.  
Est igitur liberum arbitrium, quod quisquis esse negaverit, Catholicus non  
est.

XXXII. 3. Non quāritur, An mens & voluntas liberae sint ad pec- 3. Non de li-  
tandum, hoc est, liberè, non coactè, non simplici necessitate pec- bertate in ma-  
cent. Nemo enim hoc negavit, quem in sensum multa allegan- lo.  
tur dicta Patrum à Chemnatio part. 1. Exam. m. p. 114. fac. b. Habet  
enim homo in malo liberum arbitrium, ut loquitur Augustinus l. 1. contra  
duas epist. Pelagian. c. 2. Et c. 15. ait: Semper est in nobis voluntas li-  
bera, sed non semper est bona; Aut enim à justitiā libera est, quando servit  
peccato, & runc est mala; aut à peccato libera est, quando servit justitiae, &  
runc est bona.

XXXIII. 4. Non quāritur, An homo habeat libertatem in ex- 4. Non de li-  
ternis rebus, & in contractibus; An possit quodammodo secundūm virtutem bertate in e-  
agere? Hoc enim à nemine negatum fuit, unde Prosper dicit l. 1. de vocat. gens. c. 3. Iudicium voluntatis depravatum, non ablatum est. xternis actio-  
Atq; hinc Iustinus apolog. 2. tria eorum, quæ moventur, genera- nibus.  
ponit: Quedam enim moventur sine judicio, sicut lapis move-  
tur deorsum; quædam moventur judicio, sed non libero, ut ovis  
videns lupum, judicat eum fugiendum ex naturali instinctu,  
non ex deliberatione, nec potest eligere, an velit non fogere:  
homo verò per potentiam intelligentem judicat aliquid fu-

C. 3 gien-

giendum vel prōsequendum: Et quia ex collatione, quādam ratione, eligit actiones, non ut ovis, ideo dicitur liberi arbitrii. Hoc autem liberum arbitrium latius non extenditur, quād ad externa opera, cum lege, ratione sui, quodammodo convenientia: hæc enim pro arbitratu suo potest homo vel efficere, vel omittere, ut patet ex Rom. 2. v. 14. 15. &c Philip. 3. v. 6. ubi Paulus inquit, se ante conversionem suam, secundūm justitiam, qua in lege est, conversatum fuisse sine querelā.

**3. Non de sta-** XXXIV. 5. Non queritur de statu integratū, quippe in quo tu integratū fuisse hominem liberi arbitrii, conceditur; nec de statu reparatio-  
gratiae & glo-  
ris vel restorationis post factam conversionem: Liberam enim  
resicationis. tunc esse voluntatem, in quantum liberata est, nemo inficiatur,  
modò observetur, illam voluntatis coöperationem non à na-  
turā, sed gratiā provenisse. Multò minùs sermo est de liber-  
tate in statu glorificationis; tūm enim verè erimus liberi, quia per-  
fectè liberati.

**6. Non de li-** XXXV. 6. Non queritur, An homo possit audire verbum Dei li-  
bertate usur-  
pandi media. berè, vel non audire; illud legere, vel non legere? Hoc enim certum esse  
multis probari potest è Scripturā exemplis, unde Augustinus inquit  
de fide ad Petrum c. 32. Firmissimè tene, & nullatenus dubites, posse qui-  
dem hominem, quem nec ignorantia literarum, nec aliqua prohibet imbecil-  
itas vel adversitas, verba Legis & Evangelij sive legere, sive ex prædicatoris  
ore audire; sed ut, quod audit corpore, corde etiam percipiat, & acceptā di-  
vinitus bonā voluntate facere & velit & possit, neminem posse, nisi quoniam  
Deus gratiā suā prævenerit.

**7. Non de co-** XXXVI. 7. Non queritur, An quis diu in Ecclesiā educatus, & in  
gnitione liter-  
rali, eā ab eā informatus, literalem quandam & historicam fidei cognitio-  
nem per vires arbitrij sibi possit comparare? cū id fieri posse, exempla  
hæreticorum luculenter comprobent. De homine autem infi-  
deli & extra Ecclesiā cōtum constituto, hīc unā, & potissimum  
disputatur. In talienī maximē conspicuum est, quale  
sī liberum arbitrium, & quasdam ex sese post lapsum vires ob-  
sigeat.

**8. Non de mo-** XXXVII. 8. Non queritur, An conversio fiat sine motu mentis  
ribus mentis & actione voluntatis? Ipsi enim concedimus, neminem sine men-  
& voluntatis te & intellectu aliquid posse intelligere, cogitare aut judicare.  
ēs genere. sine

Tine voluntate ne minimē desiderare, ex pectore, conari, iuctari.  
Multā enim, inquit Augustinus homines volentes agunt, sed credere nisi  
volens nemo potest. Ergo in ipsā simul conversione, & conversionis  
inchoatione mens cogitat, & cogitando assentitur, voluntas de-  
siderat, & desiderando credit. In quæstione autem est, quidnam  
illuminet intellectum, ut divina intelligat, quidnam rectificet  
voluntatem, ut piè & sincè credat? Pontificii respondent, &  
naturam & gratiam: Nostri dicunt, nullo modo id præstare na-  
turam, sed unicè gratiam.

XXXIX. Hinc igitur verus & genuinus controversiæ sta-  
tus emergit iste: An homo nondum renatus, quando ex- *Verus status*  
citatur gratiâ divinâ præveniente, habeat in se vires ali- *questionis.*  
quas, sive facultatem Deo assentiendi & cooperandi in  
motibus & actionibus spiritualibus? Vel, quod idem est,  
Quænam sit causa, vel quidnam faciat, ut intellectus à  
Deo aversus assentiatur verbo Dei, & voluntas Deo re-  
nitens, credat Deo & in Deum? Pontificii duas assignant  
causas partiales, arbitrium & gratiam: *Nostri* non nisi unam  
agnoscunt, nimirum gratiam, siquidem mens & voluntas ho-  
minis post lapsum nullas habet vires Deo assentiendi, vel in spiri-  
tualibus cooperandi, quod nunc fusiūs demonstrare agredi-  
mus.

## QUÆSTIO V.

Quibus argumentis vera de libero arbitrio sén-  
tentia propugnari queat?

XXXIX. Probari potest servitus arbitrii circa conversio-  
nem hominis, aliosq; actus spirituales, partim ex Scriptura; par-  
tim rationibus ab analogiâ fidei defunctis; partim testimoniis  
tum Patrum, tum ipsorum adversariorum. Ex Scriptoris multa  
in hanc sensum dicta de profundi possunt, quæ omnia, ne tut-  
bemur confusione, in certas & peculiares classes distribuimus.

40. D I. *Novem classes*  
*dictorum ex*  
*Scripturis sa-*  
*cis.*

Prima.

XL. DICTA SCRIPTURÆ. Prima classis  
dictorum, in quâ continenter illa loca, quæ hominis  
corruptionem, peccato introductam, in genere ob ocu-  
los ponunt. Argumentamur inde-hunc ad modum: *Quicunq;*  
peccato penitus sunt corrupti, ita ut nil sint nisi caro; illi non  
habent liberum in spiritualibus arbitrium. Caro enim & spiri-  
tus sunt opposita; ubi caro regnat, ibi spiritus non est, ibi nulla  
possunt esse opera spiritualia, verùm potius carnalia; qualis enim  
causa, tale causatum. Atqui homo non renatus peccato penitus  
est corruptus, ita ut nil sit nisi caro. Quare homo non renatus non  
habet liberum in spiritualibus arbitrium.

De dicto Joh.  
3, v. 6.

XLI. Minor probatur i. Joh. 3, v. 6. *Quod natum est ex carne,*  
*caro est, h. e. peccato contaminatum, & nil nisi carnale sapit.*  
Unde Paulus inquit, Rom. 8. v. 6. Φέγνημα τῆς σωγός ἔργα τοῦ,  
& Gal. 5, v. 19. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immuni-  
ditia, &c. Excipit Bellarminus l. 5. c. 10. col. 790. lit. B & C. acci-  
pi quidem vocabulum carnis quandoque pro homine carnali,  
sæpius autem simpliciter accipi pro ipso homine, & taliter su-  
mendum esse ac intelligendum Johan. 3. Dominus enim, inquit ut  
ostenderet, oportere nos nasci denuò, si velimus hereditatem divinam conse-  
qui, dixit, Quod natum est ex carne, caro est, h. e. non sufficit na-  
tum esse semel ex homine. Nam homo nihil aliud quam hominem gignit. Sed  
nascendum est iterum, idq; ex Deo, ut sumus quodammodo Di, & heredita-  
tem filiorum Dei consequimere amur. Verùm hæc interpretatio Jesu-  
witica, nova prorsus est & commentitia, ipsiq; textui omnino  
contraria. Christus enim v. 5. inquit, oportere hominem renasci ex a-  
quâ & spiritu, v. 6. addit rationem, quia quod natum est ex carne, ca-  
ro est. Hic si per carnem intelligas ipsam hominis substantiam,  
quæ so, quæ hæc foret argumentatio: *Quod ex homine nascitur, est*  
*homo. Ergo homo opus habet Baptismo?* Nulla hæc foret consequen-  
tia: Non enim ideo regeneratione nobis opus est, quia sumus  
homines, id est, creaturæ Dei; alioquin in statu integratatis ante  
lapsum regeneratione quoq; fuisset opus; sed potius, quia  
sumus peccatores. Nam purgantur in Baptismo non à natura,  
sed naturæ vitio; Igitur hæc est ratio Christi, Omnes à peccatoribus

na-



nascentur peccatores. Ergo opus habent Baptismo, tanquam purgamento peccati. Ac proinde per carnem intelligitur homo, non quā homo, sed quā peccato infectus & corruptus est, quod patet ex antithesi: opponit enim carnem spiritui. Omne inquit, quod natum est ex carne, caro est, quod vero ex spiritu, spiritus est: ubi per Spiritum nihil aliud intelligit, quam regenerationem & renovationem. seu peccati tūm remissionem tūm subactionem. Cūm igitur caro opponatur spiritui, nequit certe per carnem intelligi humana natura, quippe quæ nec spiritui opposita est, nec per Spiritum tollitur. Et digna hic notatu venit regula Lutheri, quam ponit in l. de servo arbitr. p: 235. quæ ita sonat: Id observabū in Scripturis, ubicunque de carne agitur per antithesin ad spiritum, ibi ferè per carnem intelligas omnia contraria spiritus: Vbi vero absolute tractatur, ibi conditionem naturamq; corporalem significare scias. Illud vero manifestum Iesu est Bellarmini, cūm scribit Rom. 8, per carnem nihil intelligi aliud, quam concupisibilitatem, seu partem animæ inferiorem, quam sensualem vocant. Expressè enim textus dicit, τὸ Φεγύνηα τῆς σωμάτος. An autem τὸ Φεγύνηα, & τὸ Φεγένηα inferiori animæ facultati & non potius superiori, ipsi videlicet menti & intellectui ascribimus?

2. Rom. 5. v. 19. Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, id est, omnes fatentibus ipsis Pontificiis.

3. Job 14. v. 4. Quis potest facere vel dare mortalem de immundo conceptum semine? Unde & David conqueritur Pial. 51 v. 7. In peccatis concepit me mater mea.

4. Jerem. 17. v. 9. Pravum est cor hominis.

5. Eramus naturā filii iræ, sicut & ceteri, Ephes. 2. v. 3. Referri hue possunt alij textus Biblici, qui hominem peccato corruptum esse evincunt, quorum explicationem, & inde petitam demonstrationem vide Decad. 1. ἀνθεπαλογίας nostræ disputat. 5. quest. 3.

XLII. Secunda classis dictorum, in quā continentur secundā ista loca, quæ hominem post lapsum, in statu corruptiōnis adhuc constitutum, non nisi male agere evincunt qualia sunt, i. Matth. 7. v. 18, Luc. 6. v. 43 & 44. Omnis arbor bona fru-

D

ctus

Qui bonos facit; putris autem arbor fructus males facit: Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor putris fructus bonos facere. Bonus homo ex bono thesauro cordis sui profert bonum; Et malus homo ex malo thesauro cordis sui profert malum, &c. Hinc ita concludimus: Mala arbor non proficit verè bonos & laudabiles fructus Arbitrium hominis post lapsum nū est aliud, quam mala arbor, siquidem peccato penitissime infectum est. Ergo nequit proficere fructus verè bonos & laudabiles. Majore est ipsius Christi; minor negari nequit; constat igitur sua conclusioni veritas.

XLI. Multa excipit Bellarminus l. 5. cap. 10. col. 788 & 789. Primum, inquit, esse diversa dicta apud Matthæum & Lucam. Sed non sunt diversa quoad sensum, licet demus, distinctis ea fuisse prolatas temporibus. Qui enim hodie dicit, Jesuv vita esse mendaces impostores, & cras idem repetit, is non diversum & aliud dicit, sed idem, quamvis diversis dicat temporibus. Illud vero manifestè falsum est, quod inquit, Matth. 7. per arbores malas & bonas nihil intelligi aliud, quam doctrinas falsas & veras. Sententia enim Christi generalis est; vult probare, quod doctrina Pseudoprophatarum sit falsa, quia fructus eius sunt mali. Sic ergo colligit. Arbor bona non proficit fructus malos: Doctrina Pseudoprophatarum proficit fructus malos. Ergo non est arbor bona. Si hic per arborem bonam intelligatur ipsa doctrina, tunc idem per idem probasset Christus, & peccatoris consequens ejus argumentatio fuisset vacua, & nullius sequitur, quod de Christo dicere impium & blasphemum. Potius ergo statuendum, quod ista Christi sententia generalis sit, & equipollens huic, quam ponit vers. 16. Numquid colligunt à spinis uvam, aut à tribulis ficus? Id vero etiam maximè calpandum in Jesuv vita, quod verba Christi omnino pervertit, & ex universalis propositione particularem facit, quando inquit. Dominum non voluisse significare, arborem bonam non posse facere nullum fructum malum, sed non posse facere omnes aut plurimos fructus malos; sic etiam arborem malam quandoque facere fructum bonum, devdgv enim omnis significare non omnino corruptam, sed arborem antiquam & cariosam. Verum CHRISTI sententia manifesta est & perspicua: Omnis arbor bona, fructos bonos facit. Et licet quandoque evenerit, ut fructus à vermis corruptantur, vel ob aeris intemperiem

ad

ad maturitatem non derdueantur; tamen causa non est in arbo-  
re, sed extra arborem. Usque adeò universaliter verum est: Ar-  
bor non potest fructus malos facere: Et ubi sunt fructus mali, ibi arbor mala,  
& contrà. Mirandum autem, quod Jesuvita hie tantoperè  
Græco textui fidat, cùm tamen illi potius standum fuisset versio-  
ne vulgata Latinâ.

XLIV. Porro duas committit in solutione hujus argumenti  
petitiones principij. Prima est, dum inquit, hominem quæ mala ar-  
bor est, & ex cupiditate agit, non posse quidem operari, attamen si agat ex bo-  
no naturæ, posse opus bonum morale producere. Hoc enim queritur,  
an homo post lapsum partim sit bonus partim malus, & sic qua-  
si mixtura ex bonitate & malitiâ? Nos dicimus omnino esse  
corruptum, ideoque non posse benè operari. Neque verò me-  
dium quoddam est inter carnem & Spiritum regnantem, quale  
singit Jesuvita, sed homo aut obedit carni, aut spiritui; si car-  
ni, opera ejus sunt carnalia & impia; si spiritui, spiritualia & bo-  
na. Quamvis enim concedi possit, hominem quoad externam  
disciplinam posse aliquod bonum opus producere; tamen id o-  
pus non est spirituale, quia non ex spiritu profectum: Conversio  
verò opus est spirituale. Ergo non potest à naturali vel carna-  
li arbitrio hominis causari. Alteram principij petitionem in eo  
committit, quod per bonos fructus intelligi contendit opera vita  
meritoria, & talia ab homine præstari non posse. De merito e-  
nam bonorum operum universa sile Scriptura.

XLV. 2. Psalm. 14. v. 1. Roman 3. v. 9. & seqq. Causati sumus, Iu-  
deos & Græcos, omnes sub peccato esse, sicut scriptum est, quia non est justus  
quisquam, non est intelligens, non est requirens Deum. Omnes declinaverunt,  
simil inutiles facti sunt, non est qui facit bonum, non est usque ad unum.  
Hic describitur, qualia sint opera hominum non-renatorum,  
videlicet non intelligere, non requirere Deum. Quomodo er-  
go per vires arbitrij poterunt assentiri mysterijs divinis, in Chri-  
stum credere & Deum diligere? Quomodo iij. qui prorsus inu-  
tiles facti sunt, poterunt Iesu ad conversionem præparare? 3. Gen.  
6. v. 5. & c. 8. v. 22. Omne figmentum cordis humani tantummodo malum  
est ab adolescentiâ suâ. 4. Matth. 15. v. 19. De corde exēunt cogitationes  
mala. &c.

**XLVI.** i Tertia classis dictorum, in qua continentur illa loca, quae in specie tamen intellectus cæcitatem, tamen voluntatis aversionem in homine non-renato ostendunt. Hinc argumentamur: *Cujus intellectus cæcus est in spiritualibus, is non intelligit spiritualia, multò minus ipsis assentitur; & cuius voluntas aversa contumax & refractaria est, ipsis non vult, nec velle potest se ad Deum convertere, & in Christum credere. Aiqui intellectus omnium non-renatorum cæcus & voluntas aversa est. Ergo non renati non intelligunt divina mysteria, nec possunt actiones spirituales edere.*

**De cæcitate intellectus.**

**De dicto 1.  
Corinth. 2.  
v. 14,**

**XLVII.** Minor probatur, I. Quod intellectus cæcus sit in mysterijs spiritualibus. i. i. Cor. 2. v. 14. *Ψυχικὸς ἀνθρωπὸς animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei, stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinantur. Observandum est hoc loco, quid intelligat Apostolus per ἀνθρώπον ψυχικὸν. Enserus putavit, intelligi partem animæ inferiorem, quam homo cum brutis habet communem, eo sensu, quo motus dicitur animalis, & spiritus vocantur animales, unde reddendum putavit, der Thierische Mensch. Sed prorsus falsam esse hanc interpretationem patet inde, qui de talibus loquitur, quos v. 6. appellavit principes hujus seculi, qui praestant doctrinam, prudentiam, eloquentiam, & alijs animi dotibus, ideoque v. 13. ipsis attribuit dianctes τῆς ἀνθρωπίνης οὐ Φιλαλόγος. Tales appellat ψυχικὸς ab anima, quia non vult intelligi Epicuride grege porcos, qui 2. Pet. 2. v. 12. vocantur αἱλογαζῶα, sed qui porissimam sui partem, animam scilicet, excolunt. Opponuntur ergo ἀνθρώποι ψυχικοὶ πνευματικοῖς, id est, per hominem animalem non intelligitur is, qui tantum sensu regitur more brutorum, sed qualis homo est à primâ origine & nativitate, expolitus omnibus humanis sapientiae disciplinis, artibus & virtutibus, qui anima sua ductu regitur, non à Spiritu sancto gratiore inhabitante. Qui enim sequitur dictum rationis nominatur ψυχικὸς; qui sequitur Spiritum sanctum, vocatur πνευματικός: patet hoc ex epist. Judæ vers. 19. ubi dicitur: *His sunt, qui segregant semeripsoſ ψυχικὸς πνεῦμα μηδέχοντες:* hic exponitus, quis sit homo ψυχικὸς, qui*

vide:

151.02

s. 8

videlicet spiritum sanctum non habet: Unde & sapientia humana vocatur ψυχική Iac. 3. v. 15. ex quibus omnibus satis apparet, per ἀνθρώπον ψυχικὸν intelligi hominem, qualis jam post Iapsum est constitutus, & qui nil nisi suæ rationis dictamen sequitur. De tali autem homine animali dicit pronunciat Apostolus, quod mysteria Spiritus, nec possit γνῶναι, nec δέχεσθαι. Per γνῶναι intelligit simplicem notitiam & intelligentiam rerum spiritualium, per δέχεσθαι verò fidelem assensum. Hoc enim modo sumitur Acto 8. v. 14. Cùm audissent Apostoli, quod δέδεκται receperisset Samaria verbum Dei. Acto 17. v. 11. ἐδέξαντο τὸν λόγον, receperunt verbum cum omni aviditate. 1. Thessal. 2. v. 13. οὐδὲ φλαβόντες λόγον αὐτοῖς παρέημον τῷ Θεῷ, ἐδέξαθε καὶ λόγον αὐτούς πάνθεον. Hic distinguitur expressè inter οὐδὲ φλαβάντες τὸν λόγον, & inter δέχεσθαι τὸν λόγον: Illud ad auditum externum, hoc ad auditum internum, hoc est, fidelem assensum pertinet. Duo igitur Paulus afferit: 1. quod homo non renatus seu ψυχικὸς non possit δέχεσθαι vel recipere fideli assensu mysteria Spiritus. 2. quod ex se non etiam possit nudam illorum γνῶσιν habere, quod assentit eodem cap. v. 8. ubi dixit, quod nemo principum hujus seculi sapientiam Evangelij cognovit; est enim Διποκεντρυμένη, abscondita ver. 7. quam caro & sanguis non revelant, Matth. 16. v. 17. sed solus Filius, qui est in sinu Patris, ipse nobis enarravit, Iob. 1. v. 18. Summa est: Homo etiam sapientissimus nequit cognoscere ex naturalibus viribus, Deum misisse Filium ad redimendum per mortem genus humanum, & licet illi per verbum reveletur, tamen id non potest δέχεσθαι, non credere, nec illi assentiri. Causam addit duplificem, quarum prima desumitur à corruptione naturæ, quæ tanta est, ut mysteria coelestia tanquam stultas fabellas & aniles nugas irrideat & cavilletur, μωρεῖα αὐτῷ θεῖ, quamdiu nimirum homo est ψυχικὸς. Hinc colligimus: Quicunq; mysteria divina habet pro stultitia & vanitate: is non potest ijs assentiri: Homo animalis, quamdiu talis, habet mysteria divina pro stultitia. Ergo assentiri nequit. Secunda causa desumitor à conditione mysteriorum divinorum, quæ non admittunt judicem ψυχικὸν & carnalem, opinionibus Philosophicis & mundanis penitus immersum, sed spiritualiter dijudicanda sunt, h. e. secundum tenorem verbi divini, quod

spirituale est, & secundum dictamen Spiritus sancti in cordibus credentium, Rom. 8. v. 14. 15. Unde concluditur: In quo non est χριστός πνεῦμα τὸν ἔχοντας εἰς θεόν. In hominem animalem, quā talis non cadit χριστός πνεῦμα τοῦ. Ψυχικὸς enim πνεῦμα τὸν ἔχει epist. Judæ. v. 19. Ergo nec in eum cadit δοχὴ mysteriorum divinorum. Major est Apostoli, minor manifestatio veritatis: sua igitur conclusioni quoque constabit veritas.

**Dedictio 2.** XLIX. 2. 2. Corinth. 3. v. 5. Non sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis, tanquam ex nobis. Si verò ne quidem cogitare aliquid boni possumus ex proprijs viribus, multò miuūs poterimus mysteriis divinis plenè assentiri. Bellarminus l. 6. c. 13. col. 912. lit. A. dicit, hunc locum sibi favere; cum non neget Apostolus, nos sufficientes esse, sed negat nos sufficientes esse ex nobis. Et addit, nisi liberi essemus arbitrii, non rectè diceremur non sufficere ex nobis, sicut non rectè diceret aliquis iumentum australi non sufficere ex se aliquid cogitare de Deo. Verùm tota hæc argumentatio pendet ex vocabulo *sufficientes*, quod versionis Latinæ est, non ipsius texti Græci. In hoc enim reperitur vocabulum *ικαροί*, unde *ικαρόθης*. quæ aptitudinem, idoneitatem, non solam sufficientiam negant. Sensus igitur loci Paulini est quod nullo modo apti vel idonei, vel accommodati simus ad aliquid non modò efficiendum; vel dicendum, sed ad cogitandum saltē. omnem verò *ικαρόθης ικαρών* ἐν Θεῷ esse. Et quamvis principaliter Paulus loquatur de ministris Dei, tamen sententia hæc generalis est, competens omnibus omnino hominibus, unde & Augustinus inquit l. de prædest. sanctor. cap. 2. Quod ad religionem & pietatem attinet, non sumus sufficientes cogitare aliquid, qua ex nobis. & nemo sibi sufficit ad incipiendum vel perficiendum quocunque opus bonum.

XLIX. 3. Rom. 8. v. 7. τὸ Φεγύμα τῆς οὐρανοῦ ἔχεις Θεόν: Legi enim Dei non subjicitur, nec enim potest. Quodcunque autem Deo adversatur, id quā tale ad Deum se non convertit. Αὕτη Φεγύμα hominis non renati Deo adversatur. Ergo seipsum ad Deum non convertit. 4. Intellectus sèpè tenebris comparatur. Ephes. 5. vers. 6. Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino. Johan. 3. vers. 5. Actor. 26. v. 18. Luc. 1. v. 79. Ephes. 4. v. 18. & 19. Et istam

istam ob causam. 2. Cor. 10. v. 15. monemur: captivandam esse oī  
mīnem rationem & cogitationem (πᾶν γάνγρα) in obedientiam  
Christi.

L. II. Quòd voluntas aversa sit à Deo, probatur i. ex *De voluntate corrus*  
*Genes. 6. v. 5. Omne segmentum hominū. &c. 2. Job. 14. v. 4. Quis potest dare mundum de immundo conceptum semine?* Ephes. 2. vers. 3. Ex-  
cientes voluntates carnis cogitationum, & eramus naturā filii irae, 4. Johan.  
3. v. 6. *Quod ex carne natum est, caro est.* 5. Rom. 3. v. 11. *Non est requiri*  
*rens Deum, &c.*

LI. Quarta classis dictorum continet illa loca, quibus *Quartæ*  
innuitur, hominem non posse semetipsum ad Deum ex  
proprijs viribus convertere, qualia sunt Matth. 12. vers. 34.  
*Quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali?* Jerem. 13. v. 24. *Si mutare po-*  
*test Aethiops pellem suam. & pardus maculas suas, & vos poteritis benefacere,*  
*cum didiceritis male.* 1. Cor. 12. v. 3. *Nemo potest dicere Iesum Dominum,*  
*nisi in spiritu sancto.* Johan. 6. v. 44. *Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum.* Johan. 15. v. 5. *Sine me nihil potestis facere: quod dictum negati-  
tivè, non privativè, exclusivè non conjunctive intelligendum*  
est. Augustinus super hunc locum inquit: *Non dicit, sine me parum potestis facere, nec dicit. Non potestis ardui aliquid sine me facere, vel difficulter si-  
ne me poteritis, sed nihil sine me potestis.* Nec dicit. *Sine me non potestis per-  
ficere, sed nihil potestis facere sine me.*

LII. Quinta classis dictorum continet loca, in qui- *Quintæ.*  
bus nostra conversio, regeneratio soli Deo attribuitur.  
Unde sic argumentamur: *Quod soli Deo proprium, illud homi-  
nibus attribui nequit. Atque illuminare mentem, renovare vo-  
luntatem, corda convertere, sunt opera soli Deo propria.* Ergo  
homini attribui nequeunt. Minorem probant sequentia dicta,  
1. Ezech. 36. v. 26. *Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in  
medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra. & dabo vobis cor car-  
neum, & spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, ut in preceptis  
meis ambuletis, &c.* Similia loca habentur Ezech. 11. v. 19. Ier. 32. v. 39. E-  
quibus ita concludimus: *Solus Deus est dare cor novum, & lapideum  
mutare in carneum. Ergo non est liberi arbitrij, vel ipsius cordis. Sicut n. id,  
quod vetus est, ipsum non renovat, & lapis seipsum non emollit,*

*De dicto E-  
zech. 36.  
v. 26.*

ita

Ita homo non renatus seipsum non convertit. Respondet Bellarminus c. 13. l. 6. arbitrium liberum non esse cor lapideum, neque carneum, sed vim quandam medium & naturalem, quae formam lapidis, id est, peccati durtiem & formam carnis, id est, gratiae ieneritudinem recipere possit. Sic enim loqui Augustinum l. de lit. & spir. cap. 33. nempē liberum arbitrium naturaliter attributum rationali creaturæ esse vim illam medium, quae intendi ad fidem & inclinari ad infidelitatem potest. Quis autem hic non animadvertis, ludere Jesuvitam vocabulo arbitrij, quod pro ipsa voluntatis essentiâ accipit, nos verò pro diuina bonum malumque eligendi. Hæc diuina, quia per peccatum altissime corrupta est, rectè dicitur lapidea, quia peccatum indurat cor hominis, ut non curet supercœlestia, nec etiam curare queat. Quod verò addit liberum arbitrium, quando est lapideum, non habere ex se potestatem, quâ se posse ad Deum convertere, sed quando per gratiam excitatum & preparatum est, posse per vires, quos à Deo recipit, cooperari ad suam ipsius conversionem; in eo videtur sibi contradicere, siquidem omnem diuinam arbitrio ex te adimit, illud verò per vires non nativas, sed Christi cooperari posse, & Nostri concedunt. Sic videsur orthodoxe loqui, explicans similitudinem inter lapidem & cor, quando scribit: In eo similitudo locum habet, quod sicut lapis ex se non habet, ut cooperetur, si forte convertatur in carnem, sic etiam liberum arbitrium ex se non habet, ut cooperetur ad suam ipsius conversionem, potest tamen à Deo recipere potestatem operandi per gratiam, quod non potest lapis. Quibus verbis nihil aliud agit, quam ut nostram adprobet & propugnet sententiam, unde apparet, Jesuvitam vi veritatis datum, sibi ipsi contradicere, & propriam damnare sententiam: quod ipsum pluribus facit verbis in sequentibus, quando scribit, Catholicos non dicere, nec sentire liberum arbitrium habere ex se potentiam ullam, saltem proximam ad actus pietatis, sed eam accipere à Deo per gratiam prævenientem. Et mirum est, quod Bellarminus in hoc ipso capite, ubi contra nos disputat, pro nobis contra Pontificios reliquos loquatur.

LIII. 2. Deut. 29. v. 3. & 4. Vos vidistis signa illa, portentaq; ingentia, & non dedit tibi Dominus cor ad intelligendum, nec oculos ad videndum usque in presentem diem. Ergo Domini solius esse dare intelligentiam cordis, & aperire oculos. 3. Domini esse aperire oculos,

Ios, dare spiritum intelligentiae, pater ex sequentibus dictis, Eph*i*, v. 17. 2, v. 5. 4. v. 7. Act*or*. 26, v. 17. 2. Cor*.4*, v. 6. Esa*.11*, v. 2. Psal*.119*, v. 34. 3. Reg*.3*, v. 9. & 8, v. 58. 4. Psal*.51*, v. 12. orat David, Cor mundum crea*in me Domine* Sicut autem creatio est opus solius Dei, ita cordis mundi ingeneratio non nisi soli Deo convenit, 5. Philip*.1*, ver. 6. Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usq*z* ad diem Iesu, &c. 2, v. 13. Deus est, qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate sua.

LIV. Sexta classis dictorum continet loca, quibus declaratur, quod conversione non sit solum solutio vinculi, quo libertas arbitrij ligata fuerit, sed quod sit plena hominis immutatio, renovatio, vivificatio. Sic enim argumentamur: Si per conversionem homo mortuus vivificatur, cœcus illuminatur, vetus renovatur, durus emollitur, aversus convertitur; tum sequetur, quod homo nihil possit ad sui conversionem efficienter conferre. Verum est prius, Ergo & posterior. Minorem probant plurima dicta, ut quod Deus dicitur in conversione frangere corda, 1. Reg*.10*, v. 26. inclinare corda, 2. Reg*.19*, v. 4. immutare corda, Job*.12*, v. 24. emollire corda, 2. Paral*.34*, v. 27. aperire cor, Act*.16*, v. 14. convertere cor, Luc*.1*, v. 17. Esdr*a* 6, v. 22. circumcidere cor, Deut*.30*, v. 6. conterere cor, Ezech*.6*, v. 9. creare cor novum, Psal*.51*, v. 19. Ephes*.4*, v. 24. vivificare cor, Esa*.57*, v. 15. renovare cor, Eph*.4*, v. 23. auferre cor lapideum, & dare cor novum, Ezech*.11*, v. 19. & 36, v. 26. purificare cor, Act*.15*, v. 9. excita*re à mortuis*, Ephes*.5*, v. 14. vivificare, Eph*.2*, v. 5. regenerare, 1. Pet*.1*, v. 3. Tit*.3*, v. 5. Hinc opus est, ut corrumpatur externus homo, 2. Cor*.4*, v. 16. ut destruatur corpus peccati, Rom*.6*, v. 6. unde & renatus ipsius factura dicuntur, creati in Christo Iesu, Ephes*.3*, v. 10. Ex quibus omnibus ad oculum demonstrari potest, per gratiam in conversione non tolli quasi vinculum aliquod, quo soluto possit homo ex proprijs viribus credere, & Deum diligere, sed quod ingeneretur homini ista ðu' amic*de novo*, adeoque homo prorsus immutetur.

L V. Septima classis dictorum continere potest illa loca, in quibus homo non-renatus vocatur mortuus in spiritualibus. Ubi enim mors est, ibi nulla superest vis sive fa-

E.

cult

Vultas vitalis, quia mors est totalis vita privatio. Homo autem non renatus, mortuus est spiritualiter. Ergo in illo nulla superest vis vitalis; unde porrò colligimus: In quo nulla haeret vis vitalis, is nullo modo ad vivificationem sui potest concurrere: In homine non-renato nulla haeret vis vitalis. Ergo nullo modo ad vivificationem sui potest concurrere. Minor prioris Syllogismi probatur ex Ephes. 2, v. 1. Et vos conviviscavit, cum essetis mortui delictis & peccatis vestris. Similis locus legitur Coloss. 2, v. 13. Adde Joh. 5, v. 25 & Matth. 8, v. 22. Excipit Bellarmin. I. 6, c. 13. distinguendo inter id. quod omnibus modis est mortuum, & id, quod uno modo est mortuum, altero vivit. De primo mortuorum genere verum esse, quod seipso vivificare nequeant, sed non de secundo, quod refert hominem non-renatum: Dicit enim, ipsum mortuum esse quoad vitam spiritualem; non mortuum sed vivum quoad vitam naturalem: posse igitur hominem, quatenus naturaliter vivit, cooperari ad recuperandam vitam spiritualem. Resp. Vatum prorsus hoc est effugium: Ut enim vita naturalis verè distincta est à vita spirituali, ita illius actiones planè nihil conducent ad vitam gratiae efficiendam: Conversio enim non est actio naturalis, sed opus spirituale: Homo igitur naturalis nihil potest ad eam conferre.

Ottaya.

LVI. Octava classis dictorum continet loca, in quibus homines non-renati dicuntur servi peccati. Qui cunq; autem peccato servit, is non liber est ad edendas actiones spirituales: At qui omnes homines non-renati serviunt peccato. Ergo non sunt liberi ad edendas actiones spirituales. Minorem probant sequentia dicta: 1. Joh. 8, v. 24. Omnis qui committit peccatum, servus est peccati. 2. Rom. 6, v. 16. An nescitis, quod cui sistitis vos servos ad obedientiam, ejus servi estis, cui obeditis? & vers. 19. Statuistis membra vestra servire impunitati. 3. 2. Pet. 2, v. 19. A quo quis superatus est, huic eti. in servitatem additus est.

Nona.

LVII. Nona classis dictorum continet loca, quæ ostendunt hominem non posse gloriari, ac si suæ conversionis quodammodo autor fuerit. Hinc colligimus: Si homo liberi foret arbitrij, tūm posset is, qui suo arbitrio recte utitur, gloriari contra infidem, qui arbitrio suo male utitur.

Genz

Consequens falso est, fatente ipso Bellarmino l. i. c. 13. juxta dicta  
1. Cor. 1, v. 31. Qui gloriatur, in Domino glorietur. c. 4, v. 7 Quid habes,  
quod non acceperisti? Si autem acceperisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?  
Huc pertinet illud Cypriani l. 3. ad Quirinum c. 4. In nullo glori-  
andum, quando nostrum nihil est.

LIX. RATIONES AB ANALOGIA FIDEI. I. Rationes a.  
Apetenda conversione. Quodcunque à Deo singulariter petendum. 1. Apetenda  
id in nostra non est potestate. Conversio singulariter à Deo pe- 1. Apetenda  
tenda est. Ergò conversio non est in libera hominis potestate. conversione.  
Major est manifesta: quod enim jam habeo, vel in me situm est,  
id per preces ab alio minime efflagito: unde Augustinus inquit de  
nat. & grat. c. 18. Quid stultius, quam orare, ut facias, quod in pote-  
state habes? & epist. 107. Prorsus non oramus Deum, sed orare nos fingi-  
mus, si nos ipsos, non ipsum putamus facere, que oramus: prorsus non gra-  
tias agimus Deo, sed agere nos fingimus, si unde illi gratias agimus, ipsum  
facere non putamus. Minor certa est ex his Scripturis, in quibus  
sancti etiam orarunt. Psal. 119, v. 34. 73. 125. 144. Da mihi intel-  
lum. Jerem. 17, v. 14. Sana me Domine, & sanabor. Jerem. 31, v. 18.  
Converte me Domine, & convertar. Thren. 5, v. 21. Converte nos Domine  
ad te, & convertemur.

LIX. II. A renovationis imperfectione. Si homines renati conque- 2. Arenova-  
runtur, quod ex proprijs viribus nequeant bonum opus perfice- tione im-  
re, vel in fide permanere, sed petunt, ut Deus perficiat quod co- perfectione.  
pit, & illos in fide conservet; multò minus non renati ex pro-  
prijs viribus ad Deum se possunt convertere. 3. Verum prius ex  
Rom. 7. Ergò & posterius. Lutherus hoc argumentum ita propo-  
nit pag. 329. Si natura hominis adeò mala est, ut in ihs qui Spiritu renati  
sunt, non modò non conetur ad bonum, sed etiam pugnet & aversetur bono,  
quomodo in illis, qui nondum renati in veteri homine sub Satana serviantur,  
ad bonum conaretur.

LX. III. A conversionis appellatione. Vocatur nostra conver- 3. A conver-  
sio. 1. Regeneratio. 2. Creatio cordis novi. 3. Immutatio. 4. Vi- sionis appel-  
lificatio. Hinc argumentamur: 1. Generatio & regeneratio latione.  
sunt unius agentis opera. Atqui homo seipsum non potest  
generare. Ergò nec regenerare. DEUS autem sicuti solus  
hominem primitus creavit, ita & solus recreat vel regenerat.

Unde Bernhardus dicere est solitus: Non minoris est sapientie & virtutis  
recreare, quam creare hominem: Pari enim passu ambulant ~~huius~~  
& aucti<sup>g</sup> et, ut Athanasius alicubi loquitur. 2. Hominis non  
est creare, sed solius Dei. Conversio est creatio. Ergo conversio  
nullo modo assribenda homini, sed soli Deo. 3. Naturas rerum  
mutare nemo potest, nisi creator naturarum. Conversio est im-  
mutatio naturae humanae. Ergo soli Deo competit. 4. Qui vi-  
tam spiritualem non haberet, is spiritualiter sese vivificare nequit.  
Atqui homo vitam spiritualem nullo modo habet. Ergo sei-  
plum vivificare nequit. Huc respexit Lutherus, cum scripsit pag.  
270: Sicut homo, antequam creatur, ut sit homo, nihil facit aut conatur,  
quod fiat creatura. Deinde factus & creatus nihil facit aut conatur, quod  
perseveret creatura, sed utrumq; sit sola voluntate omnipotentis virtutis &  
bonitatis Dei, nos sine nobis creantis & conservantis, sed non operatur in no-  
bis, sine nobis, ut quos ad hoc creavit & servavit, ut in nobis operaretur &  
nos ei cooperaremur, sive hoc fiat extra regnum suum generali omnipotenti<sup>a</sup>,  
sive intra regnum suum singulari virtute Spiritus sui. Sic deinceps dicimus,  
Homo antequam renovetur in novam creaturam regni spiritus, nihil facit,  
nihil conatur, quod paretur ad eam renovationem & regnum. Deinde re-  
creatus, nihil facit, nihil conatur, quod perseveret in eo regno, sed utrumq;  
facit solus spiritus in nobis, nos sine nobis recreans & conservans recreatos, ut  
& Iacobus dicit, Voluntarie genuit nos verbo virtutis sue, ut essemus initi-  
um creaturae ejus, loquitur de renovata creatura. Sed non operatur sine  
nobis; ut quos in hoc ipsum recreavit & conservat, ut operaretur in nobis, &  
nos ei cooperaremur, Sic per nos praedicat, miseretur pauperibus, consolatur  
afflictos.

4. *A carnis & spiritus oppositione.* Contraria non eosdem,  
sed contrarios habent effectus. Caro & Spiritus, homo renatus  
*oppositione.* & non renatus, homo novus & vetus, sunt contraria. Ergo non  
eosdem, sed contrarios habent effectus. Homo igitur non renatus seu carnalis, quâ talis, non potest spiritualem producere actio-  
nem, & per consequens non potest se ad sui conversionem præ-  
parare, vel eandem efficere, quia conversio est actio spiritualis.  
Sicut igitur caro non est Spiritus, ita etiam caro spiritualia ope-  
ra nequit producere.

5. *A varia comparatione.* Leguntur cum in Scripturâ,  
cum

tum in Patribus orthodoxis multæ similitudines & comparatio-  
nes, inter liberum arbitrium, & res alias institutæ. Comparatur  
enim 1. tenebris. Hinc colligimus: Tenebrae seipso non illumi-  
nant. Arbitrium humanum comparatur tenebris. Ergo seipsum  
illuminare nequit. 2. Mortuo: Mortuus autem seipsum vivifi-  
care nequit. Arbitrium in spiritualibus est mortuum. Ergo se-  
ipsum vivificare nequit. 3. Duro lepidi: Lapis autem seipsum e-  
mollire nequit. 4. Trunco: hic nequit se vel in hanc vel illam  
partem vertere. 5. Feræ indomitæ: haec seipso non domat nec  
cicurem reddit. 6. Statuæ salis, quo simili utitur. Form. Conc.  
pag. 661. Statua salis autem nihil intelligit vel percipit. 7. Limo,  
qui seipsum non potest purgare aut mundare. 8. Gladio, qui ad  
motum suum non concurrit activè, dum manu alicujus agitur,  
sed tantummodo passivè.

LXIII. VI. Agratiæ divine commendatione. Refero huc regulam 6. Agratiæ  
Lutheri, positam in l. de serv. arb. p. 273. Quotquot sunt loca in Scri- diuinæ com-  
pturis divinis, quæ meminerunt auxiliij, tot sunt, quæ tollunt liberum mendacio-  
arbitrium. Nam idem gratiæ opus est, idem auxilium gratiæ confertur, quodlibet ne-  
berum arbitrium per se nihil posse, & ne quidem velle bonum possit.

LXIV. TESTIMONIA PATRUM ET ADVER- Testimoni-  
SARIO RUM. Irenæus l. 2. c. 65. Non ex nobis, neq; ex naturâ no- um Irenæi.  
strâ est vita, sed secundum gratiam Dei datur. Cyprianus l. 3. ad Quiri- Cypriani.  
num: In nullo gloriandum est, quando nihil est nostrum. Ambrosius in Ambrosij.  
cap. 1. Luc. A Deo præparatur voluntas hominum. Ut enim Deus honorifi-  
ceretur à sancto. Dei gratia est, Basilius de humil. Totum Dei gratia & Basilij.  
dono debemus. Augustinus in Enchir. ad Laurent. c. 30. Libero arbitrio Auguſtini.  
utiq; vivendo occidit se, sed se occidendo non vivit, nec se ipsum poterit resu-  
scitare, cum occiderit. Ita cùm libero peccaretur arbitrio, victore peccato  
amissum est & liberum arbitrium, à quo enim quis devictus est, huic & ser-  
vus addictus est. Petri Apostoli est ista sententia, quæ cùm vera sit, qualis  
quæso potest servi addicti esse libertas, nisi quando eum peccare delectat?  
Liberaliter enim servit, qui sibi Domini voluntatem libenter facit: ac per hoc  
ad peccandum liber est, qui peccati servus est. L. 1. ad Bonif. c. 3. Hæc volun-  
tas, quæ libera est in malis, quia delectatur malis, idem libera in bonis non est,  
quia liberatus non est, L. 1. Retract. c. 15. Voluntas pia in tantum libera est,

in tantum liberata est. Epist. 144. Sine gratia Dei non potest esse libertas vobis luntas. L. 3. contra duas Pelag. epist. c. 8. Liberum arbitrium captivatum non nisi ad peccandum valet. L. de nat. & grat. c. 53. Naturae possibilias vulnerata, sauciata, vexata, perdita est. Epistol. 107. Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus. Chrysostomus homil. 30. in Actor. Apostol. Nihil nostrum esse putemus, quandoquidem & ipsa fides non est nostrum opus: quod autem non sit nostrum, sed magis Dei, audi Paulum dicentem, Etiam hoc non ex nobis, Dei donum est. Item in homil. de Adam & Eva. Per quem fit, ut aliquid boni & velle inveniamur, & facere, quo utiq; auxilio & munere Dei non auferatur liberum arbitrium, sed liberatur, ut de tenebroso lucidum, de pravore rectum; de languido sanum, de imprudente providum fiat. Tanta enim est bonitas Dei, ut nostra esse velit merita, quæ ipsius sunt dona: Agit enim in nobis, ut quod vult, velimus & agamus. Prosper. c. 21. Infidelitas rapuit fidem, captivitas abstulit libertatem, nec potuit illic ulla portio residere virtutum, quo tanta irruperat turma vitiorum. Fulgent. de incarn. & grat. c. 13. Peccans Adamus, qui sine peccandi necessitate creatus est, in eo, quod animæ sanitatem delinquendo perdidit, etiam illa cogitandi, quæ ad Deum pertinent, amisit protinus facultatem. Plura qui desiderat, is doctissimos locos communes Dn. D. Gerhardi, Amici nostri honorandi, consulat, ubi multa Patrum testimonia, in quinque classes tributa inveniet. Nam Patres 1. omnia divinæ gratiæ, viribus humanis nihil tribuunt. 2. Arbitrium respectu spirituum dicunt amissum esse, ac nihil valere, nisi ad peccandum. 3. Initium quoq; bonorum motuum, divinæ gratiæ adsignant. 4. De viribus arbitrij in civilibus & spiritualibus distinctè loquuntur. 5. Et deniq; docent, velle gratiam, & assentiri gratiæ, non esse virium nostrarum, & voluntatis humanæ, quas hypotheses multis testimonij firmatas vide T. 2. LL. CC. Gerhardi, sect. 44. 45. 46. 47. 48.

Pontificiorū L X V. Præterea Scholastici quidam, & ipsi adversarij, cùm quorundam absque præjudicio judicant, sententiam nostram sæpe adprobant, adeoque propria suorum testimonia Jesuítis opponere possumus. οτε μνή ἡ ηγή ἡ θράση τῶν ἐχθρῶν μαρτυρία Grave & suscipiendum etiam, quod ab hostibus proficiuntur testimonium, ait Isidorus Pe-

In his

lufior i epist. 228. Notari ergo volamus sequentia. 1. Lombardus:  
I. 2. sent. dist. 25. lit. G. Post peccatum, inquit, ante reparationem gra-  
tiae premitur homo à concupiscentia, & vincitur: & habet infirmitatem in  
malo, sed non habet gratiam in bono; & ideo potest peccare, & non potest  
non peccare etiam damnabiliter. Rursus lit. H. Per peccatum naturalia  
bona sunt corrupta, & gratuita detracta: Incurrit enim homo pro peccato  
pœnam in corruptione & depressione liberi arbitrij. 2. Gregorius Atini-  
nensis I. 2. sent. dist. 26. 27. 28. accusat scholasticos reliquos, quod  
in doctrinâ de libero hominis arbitrio hæresi Pelagianæ sint  
addicti, & commendat Thomam Brandenardinum, qui anno Chri-  
sti 1330. opus tripartitum de gratiâ Dei contra liberum arbitri-  
um ediderat. 3. Johannes Ferus Minorita in c. I. Johannis v. 23.  
veterem nativitatem, atque adeò omnes vires naturæ, quæ na-  
turali propagatione transfunduntur in sobolem, in Scripturâ  
damnari assertit, unde Index expurgat. Hisp. fol. 123; ex commenta-  
rijs Feri expungere jubet hæc axiomata: Non alios quam malos fru-  
ctus profert natura ex se: Voluntas nostra mala, & omnium malorum ra-  
dix. 4. Judicium Cæsaris de artic. 18. A. C. sic habet: In articulo  
decimo octavo consenserunt liberi arbitrij virtutem, quod habeat libertatem ad  
efficiendam civilem justitiam, sed non habeat vim sine Spiritu sancto efficien-  
de justitiae Dei, quæ Confessio acceptatur & approbatur. 5. Johannes à  
Daventriâ commendat eundem articulum, tanquam per omnia  
cum doctrina Pontificia consentientem. Dispeream, inquit,  
si plus à nostris libero arbitrio attributum sit, quam isti (Confessores)  
tribuunt. 6. Johannes Hoffmeisterus: Nihil, inquit, offendit nos  
hic articulus, nec quicquam in malum partem interpretabimur, quoniam  
ex monumentis piorum Patrum, imo & ex sacris Scripturis videtur de-  
sumus. 7. Georgius Cassander in Consultat. de Controversiis  
fidei artic. 18. pag. 117. Summa hujus controversie, quæ olim & hodie  
de libero arbitrio extitit, in eo consistit, quid valeat liberum arbitrium sen-  
voluntas ad justitiam coram Deo consequendam? Sanè Orthodoxi sem-  
per contra Pelagianos & Manichæos contenderunt, justitiam, quâ justifica-  
mur coram Deo, attribuendam esse non virtuti liberi arbitrij seu volunta-  
tis per peccatum vitiarum, sed singulari gratiæ Dei, non quam habemus ex  
naturâ, in quâ creati sumus, quæ nobis cum infideilibus & impijs communis  
fit, sed eâ gratiâ, quæ est per fidem Iesu Christi, quæ tantummodo eorum est

quæ-



quorum est ipsa fides, quâ gratiâ non nova voluntas creatur, neq; invitâ vol-  
lantas cogitur, sed infirma / natura, depravata corrigitur. & ex malâ in bo-  
nam convertitur, ac interiore quodam motu trahitur, ut ex nolente volens ef-  
ficiatur, & divinæ vocationi libenter consentiat, & postea eadem cooperantē  
divinæ voluntati obediatur, & in bonis operibus per eandem gratiam perseve-  
rando, ex eadâ gratia hæreditatem regni cœlestis adeat, &c. Allegat in-  
super p. 119. hoc Bonaventuræ dictum: Hoc piarum mentium est, ut  
nil sibi tribuant, sed torum gratia Dei, unde quantumcunq; aliquis det gra-  
tia Dei, à pietate non recederet, etiamsi multa tribuendo gratia Dei, aliquid  
subtrahit potestati naturæ vel liberi arbitrij. Cùm verò aliquid gratia Dei  
subtrahitur, & naturæ tribuitur, quod gratia est, ibi potest periculum in-  
tervenire. Hæc igitur testimonia tam perspicuè prolata Jesuítæ  
considerent, & nostram doctrinam hæreticos accusare cessent,  
ne suam, idem dogma in Scriptoribus Papisticis ut Catholicum  
probando, in nostris ut hæreticum damnando, extremam pro-  
dant malitiam & calumniandi libidinem.

## Quæst. VI. & Ultima. Quis sit usus doctrinæ de servitute arbitrij?

Quintuplex  
usus nostræ  
doctrinæ.  
1. διδασκα-  
λιος.

LXVI. Ut omnis Scriptura utilis est, sic quivis articulus fidei  
ex Scripturâ deductus. Idem affirmari potest de præsenti arti-  
culo, cuius usus datur multiplex, modisque varijs efferti potest.  
Fluit inde 1. V/sus διδασκαλικός, quo docemur de sublimitate gra-  
tiae & magnitudine beneficiorum Dei. Ipse enim est, qui & vel-  
le & perficere in nobis operatur. Ipse prævenit nolentem, ut velit;  
subsequitur volentem, ne frustrâ velit: prævenit, ut sanemur; subsequitur,  
ut sanati vegetemur: prævenit, ut vocemur; subsequitur, ut glorificemur;  
prævenit, ut piè vivamus; subsequitur, ut cum illo semper maneamus, quem  
admodum Augustinus loquitur l. de nat. & grat. c. 32. Tantam er-  
gò Dei gratiam humiliter agnoscamus, & devoto semper ani-  
mo celebremus.

2. ἐλεγην- LXVII. 2. V/sus ἐλεγῆτος, cùm recte cognitâ hâc doctri-  
nâ adversarijs meliùs resistere, & hæreticis ora obstruere valea-  
mus

mus. Duo in primis errorum præcipitia hic vitanda sunt. 1. *Absoluta Manichæorum necessitas.* 2. *Pelagiana arbitrij libertas.* Ex illa despe-  
ratio, ex hac gloriatio facile oriri potest. Utrumque præcavetur,  
dum mediâ viâ inceditur. Afferimus ergo libertatem in civili-  
bus, contra Manichæos; negamus libertatem in spiritualibus, con-  
tra Pelagianos; quo pacto αὐλέγοντες quosvis in hoc articulo fa-  
cile redarguerem possumus & convincere.

LXVIII. 3. *Vsus ἐπανορθωτικὸς*, quia multūm conductit hic arti- 3. *ἐπανορ-  
τος*  
culus ad excutiendam securitatem, quā quidam sibi imaginan-  
tur, in suis esse viribus, ad Deum se convertere, & in fide perse-  
verare. At verò res longè aliter se habet: à Deo solo fides accen-  
ditur, hic semper invocandus est, ut det nobis velle & perficere,  
ut quod deest nostris viribus, ipse largiatur, & opus in nobis  
cœptum clementissimè consummet. Utiverò securitatem, ita  
& desidiam expellit libertas arbitrij. Nemo cogitet, securā & os-  
tiosā mente expectabo, donec Spiritus sanctus me convertat, quia in spiritua-  
libus nihil efficere valeo. Abusus hic est, non usus doctrinæ sanæ.  
Nec enim ἐθεσται πατητῶς convertimur, sed ἀνεστητῶς per auditum  
verbi & usurpationem legitimorum mediorum, quibus fides gig-  
nitur & conservatur. Illis temerè neglectis, nemo sibi extra  
ordinarium Spiritus sancti adjutorium & adyentum polliceri de-  
bet.

LXIX. 4. *Vsus παρδοτικὸς*, quia instigamur i. ad veram humilita- 4. *παρδο-  
tem.* *Gum.* *On the nature of the soul.* *Concupitionem & virium infirmitatem.* *παρδοτικός.*  
agnoscimus, cedet superbia, & vera cordis humilitas nasceretur.  
De Pavone scribunt Physici, quod Sole adverso alas suas expen-  
dens, seque ipsum intuens superbiat, ad pedes verò cum oculos  
convertit, fastum deponat. Ita plerunque superbire solent ho-  
mines, dona sua contemplantes; sed evanescet animi elatio, si  
seruitus arbitrij nostri diligenter consideretur, quippè per quam  
fœditas & deformitas naturæ satis luculenter ante oculos nobis  
ponitur. In nullo igitur gloriandum, quia nihil nostrum est, Cypria-  
nus l. 3. ad Quir. Quid babes, quod non acceperisti? Si autem acceperisti,  
quid gloriari, quasi non acceperis? I. Corinth. 4. v. 7. Pulchrum est  
illud Hugonis: Mala mea purè mala sunt, & mea sunt; bona autem mea  
nec purè bona sunt, nec mea sunt.

2. *Ad devotam orationem.* Qui enim novit suam ægritudinem, eò lubentius querit Medicum. Qui agnoscit suam infirmitatem, eò ardentius implorat opem. Nunquam adeò devotæ sunt preces, si nobis ipsis blandimor, & facultatem benè agendi attribui-mus. Pater cœlestis dat Spiritum sanctum potentibus, *Luc. 11. v. 13.* ubi tamen non tam de primâ fidei scintillâ, quâm incremento sermo est: nec enim preces ipsæ ab arbitrio & viribus naturalibus profi-ciscuntur, sed à Spiritu sancto in non-resistantibus excitantur, quippe qui solus est precum spiritus, *Zach. 12. v. 10.* & docet nos orare, *Roman. 8. v. 26,* sine quo nemo Iesum potest vocare Domi-num, *I. Corinth. 12. v. 3.* Prorsus autem non oramus, sed orare nos fin-gimus, si nos ipsis, non ipsum putamus facere, quæ oramus, ut August. epist. 107. loquitur.

3. *Ad debitam gratiarum actionem.* Cùm enim omne, quod possu-mus, à Dco habeamus, non ex nobis; meritò illum benignum Dominum veneramur & prædicamus. Quantum verò nostris viribus tribuitur, tantum Deo ejusque præconio derogatur. Prorsus enim non gratias agimus Deo, sed agerenos fingimus, si unde illi gratias agimus, ipsum facere non putamus, juxta Augustini judicium lib. d.

4. *Ad sollicitam & indefessam industriam.* Quia enim ex gratiâ re-novamur, utique eò magis esse debemus providi, ne illam per-damus, & iterum peccando amittamus. Hoc enim si fiat, non tam naturæ nostræ injuriam facimus, spiritum sanctum, qui conve-nionem in nobis operatur, & vires eum in finem largitur, non ut otiosi simus, sed ipsi cooperemur, & de die in diem renovemur.

LXX. 5. *Vss. τῷ μαθητικῷ:* Quia enim non nostris viribus salutem acquirendam, sed ex gratiâ Dei conferendam esse audi-mus, eò majorem spem concipere possumus, nec ullam dubi-tandi ob imperfectionem virium causam habemus. Si caro con-cupiscat, & reluctetur spiritui, desperare non debemus, quoni-am Deus, qui dedit velle, dabit etiam perficere, *Philip. 4. v. 13.* Hinc Augustinus l. de dogmat. Eccles. cap. 6. scribit: *Tutiores vivimus, si totum Deo damus, non autem si nos illi ex parte, & nobis ex parte committi-mus.*

71. Hi

LXXI. Hi sunt præcipui usus sanæ de servitute arbitrij doctrinæ, qui alijs etiam modis effterri possunt. nempe quod faciat. *Ἄλλος γνῶσιν Θεόν*, cuius misericordiam videmus in conversis, ut confidamus; justitiam in nos conversis, ut timeamus.  
2. *Ἄλλος γνῶσιν ἑαυτὸν*, dum infirmitas nostra proponitur, & omnes naturæ humanæ status in memoriam revocantur. 3. *Ἄλλος γνῶσιν Διαβόλον*, cuius calliditatem animadvertisimus, qui & parentes primos seduxit, & nos ad obicem Spiritui convertenti ponendum solicitat. Deinde innotescit hinc & legis & Evangelij doctrina: *Legis*, dum indicatur morbus, & poena peccato debita: *Evangelij*, dum monstratur remedium, Dei gratia & misericordia. Tandem ad tres Cardinales Christiani virtutes hâc doctrinâ stimulamur, nempe 1. *ad pietatem*, ut colamus Deum tam misericordem. 2. *ad charitatem*, ut eò magis diligamus proximum, quo vires ejus debiliores novimus. 3. *ad sobrietatem*, ne quod accepimus, iterum amittamus. Hosce usus saluberrimos omnes, ut doctrina haclenus explicata in nobis pariat, faxit Pastor misericordiæ, sine quo nihil possumus, & per quem omnia possumus, cui sit honor & gloria  
etiam aeternum.

A M E N.



THE END



fg 2909  
(1/3)



Sb.

3½

VO 17

Bf. C





B.I.G.

FarbKarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Centimetres  
Inches

αογιας  
RÆ,  
IO XXII.  
PARATIONIS  
NENS,  
II SERVI  
RCA CON.  
ominiis alios.  
spirituales,  
ademia ad disputandum  
gio proposita  
RÆSIDIO  
VERI, S.S.Th.D.  
. Publ.  
DENTE,  
LUCIO Dresdeni.  
ab hora 2. pomerid.  
BERGÆ,  
IANIS, Anno 1615.

am4